PRÆSTANTIUM
VIRORUM
QUI IN CONGREG. S. PAULLI

VULGO

BARNABITARUM

MEMORIA NOSTRA FLORUERUNT

VITÆ

DON PETRO GRATIOLIO

BONONIENSI

Sacerdote ejusdem Congregationis

AUCTORE

DECAS PRIMA.

BONONIÆ MDCCLI.

Ex Typographia Longhi. *Superiorum permissu.*

LECTORI MONITUM.

P*Raestantium Virorum Vitas evulgaturus, qui quidem memoria nostra apud nos floruerunt, illud Te primum moneo, Lector Humanissime, ut expectes, quod praestans quidem in eorum gestis merito habeatur; non quod plane mirificum, & nunquam post homines natos auditum. Quid enim, ajebat Salomon omnium hominum sapientissimus,* Quid est quod fuit? Ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? Ipsum quod faciendum est. *Neque vero mihi mens fuit eorum simillimum Opus conscribere, quae sive ex Graecis Plutarchus, sive ex Romanis Nepos, sive ex Christianis Hieronymus, Ruffinus,* Gregorius, *Aliique scripserunt. Etenim neque Heroum cum Heroibus comparationem, neque Illustrissimorum tota Graecia, aut Asia, aut Africa Imperatorum Historiam, neque demum plena incredibili quadam, ac prorsus divina, atque inaudita Religione, abstinentia, patientia, aliisque plane admirandis virtutibus, facta proponere, instituti hujus mei esse decrevi. Eorum, quos proferam, res gestae, & laudabiles, & honestae, & memoria Posterorum digna; & nisi nos amor decipit, nec contemnenda sane, neque ad imitandum incongruae. Quod quidem iis dictum volo, qui delicato, aut severiori, aut quodam ad omnia magnifica nato ingenio, instructi, Opus hoc qualecunque meum sint perlecturi. Mitiores sane, & faciliores, aequi, bonique ut faciant voluntatem hanc meam, rogo; & nisi commendandam duxerint, quod minime ausim petere, at contemnendam, at improbandam ne habeant, & oro majorem in modum,*

& exposco. Memoria nostra florentes Viros quod attinet, eos intelligo, qui non mihi modo ipsi, verum etiam Æqualibus meis fuerunt Æquales. Quare etsi nonnulla, quæ me aut nondum, aut vix nato gesta sunt, mea industria proferentur; ea tamen ab iis ipsis omnia perdidici, qui Præstantibus illis Viris sospitibus, usi sunt, & cum iisdem sæpe versati. Omnia breviter, omnia cursim, & subcisivis horis exposita. Fui in uno Recrosio paullo longior, cujus gestarum rerum quanquam multas exposui, reticui tamen multas; neque enim paucis utendum fuit in tanta copia. Sed neque ceterorum facta omnia complexi sumus. Nam & plura diligentiam nostram fugerunt, & quædam insuper Censores nostri, justis de caussis, voluerunt esse prætereunda, quæ in exemplari nostro continebantur; quorum Virorum & prudentiæ, & auctoritati libenti prorsus animo acquievi. Impressionem curavi fieri, quam maxime potui, emendatissimam: Errata tamen nonnulla irrepserunt, quorum hic subjicio castigationem.

		Errata	sic	Emendato
Pag. 48	Lin. 9	Hos		Illos
51	15	ejus schedis		in ejus schedis
74	12	at ex altero		& ex altero
89	1	futurum esset		futura esset
101	26	devictus		devinctus
107	1	superesse		superesset
123	11	duplas		duas
126	19	jussio		jussu

INDEX EORUM,
Quorum Vitæ
PRIMA DECADE
CONTINENTUR

Ordine quidem ab emortuali eorundem anno servato.

MDCLXXXI

BARTHOLOMÆUS CANALIS. Pag. 1

MDCCXV

GREGORIUS ROSIGNOLIUS. 21

MDCCXX

JOANNES ANDREAS MAZZEJUS. 31

MDCCXXVIII

SIGISMUNDUS CALCUS. 52

MDCCXXXII

RAYMUNDUS RECROSIUS. 70

MDCCXXXVIII

JOANNES PETRUS NICERONUS. 125

MDCCXLII

PAULLUS CIGNANUS. 136

MDCCXLIII

FRANCISCUS ARBOREUS de GATTINARIA. 152

MDCCXLVIII

ANGELUS MARIA RINALDUS. 166

MDCCXLVIII

THOMAS FRANCISCUS ROTARIUS. 181

PRODIBUNT
ALTERA DECADE.

MDCCVI
JACOBUS ANTONIUS MORIGIA S. R. E. Cardinalis.

MDCCX
GABRIEL MELLONCELLUS.

MDCCXIII
DEMETRIUS SUPPENSIUS.

MDCCXX
SEBASTIANUS GIRIBALDUS.

MDCCXXV
FRANCISCUS ALOYSIUS BARELLIUS.

MDCCXXVII
IDELPHONSUS MANARIUS Bobien. Episc.

MDCCXXIX
AMBROSIUS SPINULA Sartianensis Episc.

MDCCXXXVIII
BARTHOLOMÆUS SITONUS.

MDCCXL
FRANCISCUS PEZZIUS.

MDCCXLIII
SALVATOR BALDUINUS.

Volumen alterum proferet eorum nomina, qui erunt tertia Decade recensendi.

DON

DON

ALEXANDER VIARITIUS

Congregationis Clericorum Regularium Sancti Paulli PRÆPOSITUS GENERALIS.

QUum Librum, cui titulus est, *Præstantium Virorum, qui in Cong. S Paulli memoria nostræ floruerunt &c.* a R. P. D. Petro Gratiolio Congregationis nostræ Presbytero Professo, Seminarii Bononiæ Rectore, compositum, duo ejusdem Congregationis nostræ eruditi Viri, quibus id commisimus, accurata Lectione, & gravi judicio, recognoverint, & in lucem edi posse probaverint; Nos, ut typis mandetur, quantum in Nobis est, facultatem facimus. In quorum fidem has fieri, Sigilloque nostro muniri jussimus. Datum Romæ ex Collegio SS. Blasii, & Caroli, Prid. Kalend. Aprilis, anno Domini MDCCLI.

D. Alexander Viaritius Præpositus Generalis.

Locus ✠ Sigilli.

D. Paullus Aloysius Stampa Cancell.

Vidit

Vidit D. Salvator Corticellius Clericus Regularis Sancti Paulli, & in Ecclesia Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius pro Sanctissimo Domino Nostro Domino PP. BENEDICTO XIV. Archiepiscopo Bononiæ.

Idibus Aprilis anni 1751.

Obsecutus jussibus Reverendissimi P. Inquisitoris diligenter legi librum, cui hic apponitur titulus: *Præstantium Virorum &c.*, a Viro Clarissimo D. Petro Gratioli compositum, pium sane, elegantem, ac valde eruditum: ideoque eum censeo publica luce dignissimum. Id adtestor

D. Joannes Chrysostomus Trombelli S. Salvatoris Abbas m. p.

Die 20. *Aprilis* 1751.

Attenta supra posita attestatione.

IMPRIMATUR

F. Thomas Maria de Angelis S. Officii Bononiæ Generalis Inquisitor.

ADO.

ADOLESCENTIBUS
IN UNIVERSA SANCTI PAULLI CONGREGATIONE

Optimarum artium scientiarumque Studiosis

D. PETRUS GRATIOLIUS
ejusdem Cong. Sacerdos.

ILlustrium Virorum, qui nostra ætate vixerunt, res gestas mandare litteris, tantum mihi commodi semper habere visum est, quantum multo ante præteritorum historiam scribere, difficultatis, & periculi plenum opus existimavi. Nam vel ea scribenda sunt nobis, quibus ipsi interfuimus; vel quæ ab iis accepimus, in quorum conspectu ea, quæ scribere aggredimur gesta sunt: duo plane Historico maxime optanda oriuntur, quibus, & res ipsas scire, & fidem Legentibus facere melius possit. Utrumque autem, & Scriptori commodissime accidit, & Posteris. Quis enim, nisi injuria, ei fidem non adhibeat, qui aures, tanquam tutissimum hospitium, veritati dederit, &

ejus-

ejusdem multo ante in oculis suis locatæ imaginem, scriptis demum, quasi vivis quibusdam coloribus expressam, ad contemplandum ceteris proposuerit?

Eorum sane, qui anteacti temporis Hominum gesta narrare instituunt, non æqua est opportunitas, & commendatio. Habent enim multa, quæ rescire omnino non possunt; errant etiam vel in multis, quæ sibi arbitrantur quamcompertissima. Rem enim longe est aliud intueri nos, aut sedulo percontari ipsam; monumentis aliunde ~~accersitis, aut conjecturis~~, etiamsi nostris, assequi, longe aliud.

Sed illud præterea claris Viris accedit incommodi, ut nisi ab Æqualibus eorum facta narrentur, vel ipsorum virtutis laudem dilabi, & interire funditus necesse sit; vel rerum, quas gesserunt, quamvis pulcherrimarum, debilem admodum, & obscuram superesse apud Posteros recordationem. Quare cum ii spectandam nobis exhibent singularem, qua præstant, prudentiam, doctrinam, religionem, constantiam, morum candorem, vitæ demum semper innocuæ integritatem, nos item tacitis quibusdam vocibus compellare videntur, atque id vehementius postulare, ut ipsorum perennitati, & gloriæ, quantum in nobis situm est, diligentissime consulamus. Quas voces etsi minime edunt, ederent tamen, nisi ab ea, quam excolunt, summissione, ac moderatione animi, comprimerentur. Quanquam vero, etiamsi nobis perspicua voce immortalitatem sui nominis commendarent, & id pla-

ne

ne facerent jure suo, & nullam eorum virtutis traherent notam, aut offensionem. Neque enim est quidquam Viro bono optabilius, quam ut alios quamsimillimos sui procreet, & æque bonos. Ad quod sane num quidquam est exemplorum hujusmodi, non modo propositione ipsa, verum etiam prædicatione conducibilius?

Hoc meum sane consilium fuit. Hæc mea in præstantes Viros, qui hoc ætatis in Ordine nostro excelluerunt, charitas, & industria. Sed in Vos potissimum intueor, Strenui Adolescentes, qui tantam in nostro Ordine spem de vobis gignitis, & expectationem. Ne quæso illorum magis, quos hic illustrandos aggredior, quam vestrum caussa opus hoc qualecunque suscepiße me cogitetis. Profecto res bene gestæ, quo magis compertæ sunt nobis, & a nobis, cum geruntur, sejunctæ minus; eo sollicitant animos nostros acrius, & ad imitandum incendunt. Neque enim obtendi possunt capita illa duo inanium excusationum, quibus nonnulli a Superiorum virtutibus æmulandis, aliqua cum honestate, subtrhaere se posse confingunt. Adeo, videlicet, impotentia temporis remisisse hominum vires, ut jam Posteri id plane nequeant, quod Majores facili admodum negotio gesserunt: Tam a primorum temporum institutis abscessisse consuetudinem, rationemque nostrorum, ut alii prorsus mores, alia inoleverit jam, & invaluerit, vel in optime compositis Ordinibus, disciplina. Quorum revera duorum nominum quid esse potest, ad

aver-

avertendam ignaviæ notam, aut turpius, aut imbecillius? An vobis, Optimi Juvenes, tantum videtur temporis effluxisse, quantum detrimento utrique, creando, pariundo, alendoque; & diuturnum satis, & accommodum fuiße affirmemus? Minime id quidem. Habebitis enim diligentia nostra eorum Vitas; quorum nonnullos vos ipsi novistis. Omnes pertinent ad nos propius. Nemo ætatis hujus nostræ memoriam antevertit. Quare cum hæc cernitis domesticæ virtutis monumenta & proxima vobis, & familiaria, jam magna spectare, & ad ea rectis studiis debetis contendere, quibus Viri illi præstantes & se se in primis, & eam, in quam Vos item cooptati estis, Sodalitatem illustraverunt. Reliquum est, ut quæ vobis natura, & studia, quibus semper usi estis, largiuntur, quæ ætatis vestræ ratio desiderat, quæ potestis, quæ debetis, ea faciatis. Non erit difficile certamen cum iis, quorum vos competitores feceritis; opinionemque Ordini nostro afferetis, eorum fore vos similes, quos ipsi delegeritis ad æmulandum. Valete, spes nostra, Juvenes præstantissimi, & diu, & ita vivite, ut præclarum aliquid post vos relinquatis, cujus scribendi curam Æquales vestri suscipiant aliquando, & meam hanc, quemadmodum cupio, qualemcunque diligentiam, meliori longe studio, & accuratione, non sectentur modo, sed antecellant.

Bononiæ ex Ædibus Seminarii
Kal. Sextilibus Anno MDCCLI.

PRÆ-

PRÆSTANTIUM

E CONGREGATIONE S. PAULLI

VIRORUM VITÆ.

(I)

BARTHOLOMÆUS CANALIS

Quanquam mihi ſcribenti vitas illuſtrium Virorum , qui memoria hujus ætatis in noſtro Ordine floruerunt, nullam temporum ſeriem ſervandam eſſe decreverim, præter eam , quam contentæ in ſingulis Decadibus Vitæ collatæ inter ſe invicem poſtulabunt ; tamen cum nemo ſit Bartholomæo Canali vetuſtior , cujus ego nomen , famamque audierim cum pari rerum geſtarum laude commemorari ; primum ei in hoc volumine locum tribuo . Facio autem nulla temporum ratione ductus , ſed propter eam , quam mihi multo ante paraveram , quamvis incogitans , de hoc Viro ſcribendi opportunitatem . Etenim cum ejuſ-

dem res gestas ante annos decem amplius collegissem, sermoneque italico digessissem; eædem mihi fuerunt ad manus nunc latine scribenti. Quare omnia reddenda erunt ex iis, quæ a certis quidem monumentis fuere desumpta, de quibus in calce hujus vitæ mentionem faciam singillatim. Quæ cum te monui, Lector, venio ad historiam.

Bartholomæus Canalis Mediolanensis. (1) Eum ferunt infantem a sugendo diebus veneris lacte abstinuisse, quæ res visa est insignem portendere sanctitatem. Ipse adolescens pollicitus est Deo servaturum se perpetuam mentis, & corporis integritatem. Quare cum jam esset informatus iis artibus, quæ Adolescentem maxime decent, & ad illam pervenisset ætatem, quæ ad certam vitæ rationem capessendam habetur aptissima, appetiit in nostrum Ordinem cooptari.

Cui desiderio cum factum fuisset satis, (2) isque vehementius in omnia pietatis studia niteretur, summam spem, quam de se puero injecerat, continuo incredibili virtute, vel in eo tirocinio superavit. Post emissa vota Philosophiæ operam dedit, (3) dein Theologiæ, [4] cujus tamen curriculum minime absolvit, quod esset ea valetudine, quam studium facile labefaceret. Quare Medicorum consilio, alio abscedere jussus est. Novariæ itaque clementiori cælo est usus, qua in Urbe cum ita convaluisset, ut studium aliquod ferre posset, ei se Theologiæ dedidit, quæ ad regendos hominum mores instituta est: neque post multo Sacerdotio initiatus Modoetiam abiit, ubi credita est eidem rei familiaris procuratio. Sed

(1) Natus anno MDCV, die 10 Decembris, vocatusque Antonius.
(2) Anno MDCXXVI, die 6 Junii. (3) Mediolani. [4] Ticini.

Sed fuit hæc brevior. Etenim ab iis, quæ mentem facile revocant ad res terrenas, alieno prorsus animo erat. Quare in supernorum contemplatione se totum abdidit. Erat in eo Collegio angustum, & inhospitum cuique cubiculum, quod ipsa inopportunitate, incommoditateque loci nemini ante decretum fuerat. Hoc ipse sibi habuit quam aptissimum, impetratumque incoluit, vocabatque Eremum suam, neque ab eo nisi communium officiorum caussa discedebat. Quocirca horas multas interdiu, noctuque in rerum cælestium meditatione versabatur, tanta intensione mentis, ut a sensibus prorsus avocaretur, quemadmodum & alio loco dicam. Sed eo fuit hoc tuguriolum illustrius, quod ipsi gravissimo inibi morbo laboranti, cum se videndam dedisset Virgo Deipara, eumque in summam valetudinis ab se referendæ spem erexisset, is plane convaluit, mirantibus Medicis adeo inopinatam gravissimi morbi remissionem.

Verum non ita cælestibus illis deliciis, divinisque donis abripiebatur, ut cetera præteriret, quæ maxime ad hominum salutem intelligeret pertinere. Viri enim probatissimi, quo Deum impensius excolunt, eo ceteris prodesse studiosius assuescunt. De quo Bartholomæi studio, quanquam multa afferri possunt, unum eligo mea quidem sententia quam aptissimum. Etenim gliscente anno MDCLVIII Insubrico bello, Gallisque eas regiones infensissime oppugnantibus, cum multa ante castella victa, ac populata fuissent, Modoetiam inopinata aggressione occupatam vi, armisque diripuerunt. Oppidani in eo tumultu, captis ut valuerunt armis, ad hostem depellendum magno impetu eruperunt. Quod cum fecissent, multosque non infelici successu fusos insequerentur, accidit ut

Gallorum Centurio acceptis plagis, in Collegium nostrum fugiens, ab insectantium se manibus eripere conaretur. Frustra. Nam Oppidani nihilo secius furentes, in ipsum irruperant religiosum locum, jamque in eo erant, ut hominem quamvis pessime acceptum, multoque sanguine fœdantem omnia, igni ferroque extinguerent. Hæc dum miscentur Canalis adfuit mira celeritate ad hominis periculum depellendum. Etenim gravissima oratione omnium arma compescuit, subductumque ab eorum manibus in tutum recepit. Quem cum videret gravissime saucium, tanta in eum humanitate est usus, quanta vix dici possit. Nam ipsi cubiculum lectumque instruxit, eique donec vulnera solidarentur, quæ fuit curatio diutina, tanta sedulitate famulabatur, quantam Centurio ille Vir nobilis invite ferret ab Homine religiosissimo tanta sibi cum abjectione adhiberi. Sed qui curando corpori indulsit, & animo studuit longe magis. Etenim quotidiano sermoni multa intermiscens, suavia in primis, ac salutaria, sic brevi illius pervasit animum, ut in se diligentius investigans, omnem anteactæ vitæ labem, cujus quidem a Deo veniam deprecabatur, eidem fateretur, longeque aliam inire vivendi rationem decreverit. Quod & perfecit. Abdicatis enim postquam convaluit armis, Vercellas, quæ fuerat ei patria, se recepit, vixitque emendatissime; atque inde quotannis ad Canalem veniebat tanquam ad Oraculum, a quo ut vitæ castigatioris ineundæ initium susceperat, ita & rationem acciperet insistendæ.

Hæc inter Cornelia Canalis Parens vita defuncta est, quæ moriens quandam pecuniæ summam filio legavit, illius plane arbitratu insumendam. Hac de caussa ejus incessit animum, studium vehemens

ad

ad loca quædam religiosissima proficiscendi. Quare cum ejus peregrinationis ineundæ, pecuniæque insumendæ veniam a Majoribus impetrasset, Melchiore Bonetto nostri Ordinis famulo sibi comite adjuncto, longum iter ingressus est, (1) fecitque pedibus ferme integrum. Loca autem hæc adiit, quæ singula recensebo, ut appareat quanta esset religione, atque constantia, quarum altera laboriosum illud iter suscepit, altera pertulit. Savonam primum ad Templum Deiparæ: hinc alpestri via in Etruriam digressus Vallemumbrosam, Camaldulum, Alverniæ montem contendit, illinc in Umbriam venit, atque Assisium, Mevaniam: Sublacum dehinc, Cassinumque montem invisit, Romam demum. Atque inde rediens Lauretanam Domum, hic vero Bononiæ S. Catharinæ Vigriæ incorruptum corpus religiosissime veneratus, Mediolanum reversus est. Sed quædam in hac peregrinatione acciderunt, quæ referam diligentius.

Cum enim Savonam adventasset inclinata jam die, & a via ob ingruentem noctem quam longissime aberrasset, subiit imprudens ejus arcis munitionem, quocirca ab excubiis, quemadmodum omnia sunt in tenebris suspiciosa, & voce, & armis propius ne succederet prohibebatur. In hac ipse difficultate non concidit animis, imo pertimescentem socium erigebat, affirmabatque non sibi divinam opem defuturam fore. Hæc dicenti duo continuo Juvenes obiiciuntur, recreantque dubium verbis officiosissimis, tum ipsum in viam retrahunt, deducuntque ad publicum hospitium, cujus cum fores de multa nocte clausæ essent, eorum sunt Adolescentum cura reseratæ. Tum hi confe.

(1) Anno MDCLIX Octobri Mense.

festim disparuisse visi sunt; mox enim sunt frustra quæsiti, cum vellet Bonettus eorum humanitatem pecunia, aut aliqua saltem gratiarum actione remunerari. Propterea non defuerunt, qui sub ea Juvenum specie, Cælites latuisse, sint opinati.

Eidem non multo post in Etruriam tendenti, cæleste præsidium adfuit. Nam cum pedibus scanderet difficillimum montem, qua Janua est iter ad Ericis Portum, sic ille difficultate viæ, atque inedia confectus est, ut plane deficiens, in via media procubuisset. Quærenti Socio sorbile ovum, neque in proximo, ad quod venerant tugurio quidquam præter atrum, durumque panem reperienti, responsum est, eo locorum fieri non posse, ova ut haberentur. Quare is egrediens cum se in eo monte videret, qui ex omnibus in circuitu partibus, nihil præter altissimas rupes, despectusque haberet, seque humana prorsus ope defectum intelligeret: *Ades*, inquit, *nobis Virgo Deipara*. Continuo præbuit se se illi decoro aspectu Fœmina, interrogavitque, ecquid doleret? Cui cum deficientis Viri periculum aperuisset, illa reserata veste, ovorum par dedit, evanuitque.

Sed in ea peregrinatione, cum avia illa, de quibus mentionem fecimus, loca perlustrasset, majorem hausit quam antea solitudinis cupiditatem. De iis insuper & sæpe, & libenter admodum loquebatur, ut nemo non intelligeret, quantum iis animum adjecisset. Itaque eo confecto itinere postulavit, Moderatores ut veniam facerent desiderio solitudinis obsequendi. Quocirca missus est ad Montis acuti Collegium in colle quodam transpadano Ticinensis agri locatum. Sed hic quanquam loci solitudine recreabatur, non tam sibi, quam ceteris continenter indulsit. Primum

mum enim præfectus est tirocinio eorum adolescentum, qui Religionis vota non multo ante professi, singulari disciplina apud nos informantur. Quo in munere fuerunt virtutes ejus plane admirabiles, de quibus & alio loco dicam. Deinde nactus est ejus Collegii moderationem. [1] In qua cum præesset ceteris, omnium tamen minimus videbatur, si eam spectes, cui semper studuit, sui contemnendi industriam. Etenim in munerum domesticorum distributione, quæ ejus auctoritate sancita est, suarum esse partium voluit triclinii sternendi curam, quam egit sedulitate tanta, ut & verrendo, & abluendo, & mensalia comparando, usitatam longe vinceret famulorum assiduitatem. Verum hæc clausis januis agebat, quo cum honestati consulere videretur, tum demissioni suæ liberius indulgeret. Ægrotorum curationi dabat per se ipse operam, eisque potiones, cibosque manu porrigebat. Interdum defectos viribus erigebat, brachiisque fulciebat, aut versabat lectulo super. Interdum periculoso in morbo vigiliam agitabat, famulis ire dormitum jussis.

Ipse quidem (2) ob has vigilias diuturnam dysenteriam contraxit, febrimque gravissimam, fluxuque alvi sanguineo tam est prostratus, ut Medicus eum pronuntiasset propediem moriturum. Sed nova Beatissimæ Virginis visitatione convaluit. Etenim cum ex animo ei se plurimum commendavisset, & in ejus tanquam Matris dulcissimæ sinum confugisset, hæc ei vox insonuit: *Convalesces, ne dubita*. Qua voce ita est roboratus, ut nullum deinceps appareret, quanquam gravissimi morbi vestigium. Mane igitur postero

(1) Anno MDCLXII. (2) Anno MDCLXIII.

ro opinanti Medico eum mortuum, vivumque præter ſpem, & a febri incolumem reperienti, profeſſus eſt: *Deiparæ, ut adhuc viveret, id libuiſſe.*

Verum poſt geſtam annum jam tertium hujuſmodi præfecturam, (1) Modoetiam translatus eſt ad id Collegium moderandum. Eſt hoc in Mediolanenſi Provincia pervetus, noſtroque Ordini a S. Pio V. tributum: hoſpitio S. Caroli ſæpe honeſtatum, cum is, ut aſſueverat, crebro nobiſcum, ac familiariter uteretur: excipiendiſque in Ordinem Adoleſcentibus Conſtitutionum noſtrarum ſanctione decretum. In hoc, quemadmodum diximus, ipſe antea tanquam in ſanctiſſimo domicilio fuerat commoratus. Eſt autem ei moderando nunc quidem præpoſitus, quod unus ad id regimen, quod in fingendis Adoleſcentibus, & ad omne officii munus inſtituendis poſitum eſt, id ætatis paratiſſimus, atque accommodatiſſimus omnium haberetur. In quod argumentum multa deinceps congeram. Primum enim nonniſi triennio tenuit id magiſterium, in quo deinde conſenuit, ac diem clauſit ſupremum. Eam igitur moderationem Angelicarum Virginum curatio intercepit. Eſt harum Mediolani Collegium in primis nobile, ac florentiſſimum, ab ejus uſque primordiis ſtudio, ac diligentia Antonii Mariæ Zaccariæ Parentis noſtri omni virtutum genere excultum, cujus ſemper, quod ad morum inſtitutionem attinet, moderandi curam Congregationis noſtræ Viri geſſerunt, habitumque eſt ei quamconjunctiſſimum. His ille, quanquam magno incommodo, diligentiſſime adfuit, agebatque diem in eo ſubſellio, quod iis excipiendis ſtatutum eſt, tanta animi æquitate, ſuavitateque

(1) Anno MDCLXV.

que sermonis, ut earum mentes mirifice recrearet, imbueretque saluberrimis præceptionibus. Neque hanc quamvis graviorem occupationem ulla unquam ratione levavit. Imo quod bis quotannis ad feriandum datur temporis, id ipse in divinorum contemplatione, corporisque vexandi studio accuratius quam antea insumebat.

Verum ad intermissum munus est redeundum, cui Moderatorum voluntate annum post tertium restitutus est; (1) nemo enim tam ei appositus, quam is habebatur, ut ante commemoravimus. Inerat ei suavitas, dignitas, auctoritas, quam optimam & senectus ipsa, & morum integritas conciliaret. Charitas præterea in omnes effusa, indulgens, materna; & quod caput est, Religio tanta, ut unus virtutum omnium exemplar facile haberi posset. Itaque Adolescentes mirifice instituebat, accommodabatque iis se se, & cuilibet quæ maxime convenirent administrabat. Quare nihil ejus consuetudine habebant jucundius, pertingebantque animum ejus verba, & incredibili quadam suavitate ad id exquirendum, quod in virtute est optimum, alliciebant: propterea non sine lacrymis suavissimis eum sæpe audiebant, neque dolebant magis, quam cum abrumperet dulcissimam orationem. Id enim excipiebat quisque, quod sibi esse congruentissimum sentiebat. Videbatur autem omnem animorum latebram cognovisse, atque in eo ita excellebat, ut nemo ferme dubitaret, arcana cordium divina ei virtute revelari. Hæc enim sæpe aperuit iis, qui neminem, extra Deum, admissorum arbitrum se habuisse certo certius intelligebant. Imo & cuidam, si gradum moveret quamvis unum, id si-

B bi

(1) Anno MDCLXXIV.

bi certo compertum fore affirmavit. Is autem minus considerans, cum e cubiculo sine venia prodiisset, Canalem habuit obvium; neque id semel, sed bis, ac tertio. Quare ejus memor, quod sibi fuerat prænuntiatum, habebat eum instar Prophetæ, crebroque in familiari sermone eo nomine usurpabat. Testabatur mihi Josephus Antonius Saita Vir gravis, ac dignitatibus apud nos perfunctus honestissimis, (1) qui eo Institutore usus fuerat, nunquam fieri potuisse, ut quispiam aliquid ad Instituti rationem pertinens neglexisset, cui Canalis erranti non adesset. Quare & ab errando cavebant magis, quod nihil celari eum posse intelligebant. Quam Saitæ affirmationem omnes testabantur verissimam, qui ejus magisterio gavisi fuerant, quorum non pauci memoria nostra superfuerunt, ex quibus etiam alia quædam invecta in hanc historiam fuimus mutuati. Ceterum non ipse domi errabat facile, quin se totum receptui, solitudinique dederat, scriptionique eorum librorum, de quibus mox sumus dicturi; ex quo id coniicitur divina quadam virtute usuvenisse.

Scripsit itaque Meditationes, cum eorum, qui religiosam vitam profitentur usui aptissimas, tum maxime Adolescentum captui accommodas, easque in singulos anni dies distribuit; proponebat autem, explanabatque Tironibus illis suis, quos divinorum considerationi assuescere satagebat. Hæ sunt deinde typis evulgatæ, ac sæpius recusæ, quarum apud Religiosorum hominum cętus magnus usus invaluit. Aliud

[1] Universæ Congregationis Procurationem tenuit annos sex, cum ante Collegium S. Barnabæ rexisset. Moderatus præterea Collegium S. Alexandri Mediolani, atque ibidem mortuus anno MDCCXXXVIII.

ud præterea opus composuit ponderosius, quod *Apertam Veritatem* inscripsit, duasque secuit in partes, quarum altera veritatem spectat iis in rebus, quæ vitæ sunt præsentis, altera in iis, quæ sunt futuræ. Opus hoc candidum ac simplex; sed inest in omnibus quidam sine ullo fuco veritatis color, gravissimisque rebus confertum est. Editum fuit eo mortuo. [1] Est autem hoc tempore ad eam exemplarium paucitatem redactum, ut aliquod vix reperiatur, & fiat maximi. Quare optandum est ut de eo iterum imprimendo aliquis cogitet diligentius.

In Adolescentibus autem instituendis præcipuum illud respiciebat, ut voluntatem ipsi suam maxime coercerent, judiciumque retunderent. Quam severitatem affirmabat ceteris esse præferendam. Quemadmodum enim difficilius animi reguntur, quam corpora; ita & illi utilius, quam hæc franguntur. Hinc Cuidam postulanti, ut corporis singulari quadam ratione affligendi daret veniam: *Motuum animi moderatio longe est Deo gratior: huic studeto*, inquit. Quod tamen non eo affirmabat, quod corpori indulgendum esse censeret, sed quod hujus depressionem, sine appetitionum animi coercitione vix quidquam prodesse sentiebat. Volebat autem utramque conjungi; sed hanc illa fieri longe pluris.

Sane ipse tanta fuit austeritate vitæ, quanta videatur vix potuisse perferri. Præter jusculum unum, & panis frusta, nihil sumebat obsonii. Frigidam potus caussa adhibebat vini guttulis vix coloratam. Brevissimum noctu capiebat somnum. Nunquam linteis est usus, quod vestes dormiendo minime exueret.

[1] Anno 1694.

ret. Cilicio utebatur quam sæpissime, seque flagellis cædebat duriter, sic quidem ut procul plagarum sonitus exaudiretur. Calorem æstate ferebat in arctissimo, quod memoravimus, tuguriolo intolerabilem. Frigus hieme nulla ratione mitigabat, nam ad ignem ne invitatus quidem accessit. Vestes quod attinet, nihil unquam nisi detritum induit. Vix passus est tunicam sibi novam consui, cum esset Romam profecturus ad Comitia; usitatam, credo, ut abjectionem in eo universi Ordinis conventu dissimularet. Ceterum vestes quædam, quæ tanquam monumenta ejus virtutis diligentissime custodiuntur, aliquid tam pannosum, tam refartum exhibent, ut nihil eum, quo flagrabat, paupertatis amorem, testari posse videatur magis. Opera insuper, de quibus egimus, omnia in iis, quæ abiici solent, carthis descripsit, paginisque vacuis litterarum. In quo nihil sordidum, avarum nihil in Viro, qui & in omnes extitit liberalis, & sacram splendide supellectilem auxit, & nemini, præterquam sibi, fuit parcissimus. Annuam enim pecuniam legatam sibi in communes usus conferebat, & vix ejus partem adhibuit aliquam, cum eas, de quibus mentionem fecimus, Meditationes, Typographis tradidit imprimendas; quibus editis initam accepti expensique rationem Procuratori diligentissime præbuit. Nihil in cubiculo habuit, præter durum lectulum, mensam, scamnum unum, Christi e cruce pendentis Imaginem, duas e papyro breves Icones, (1) globulorum coronam ad preces, flagellum, cilicium.

Pari præstitit castimonia: obedientia pari. Fuit enim integritate tanta, ut non modo purissimam, & ab

(1) Alteram B. V: S. Philippi Nerii, quem maxime colebat, alteram.

ab omni labe remotiſſimam vitam egerit; verum & a prima ætate cuſtoditum florem, ac jurejurando pollicitum, ad ſupremum uſque anhelitum ſine vitio ſervaverit. Eos autem, qui præerant, colebat maxime, eorumque non modo juſſionibus, ſed ingenio obſequebatur. Nihil arbitratu ſuo conſtituebat, quamvis in ceteros imperaret: malebat enim alieno conſilio regi, quam duci ſuo. Quare & omnibus, quæ animum in hæc caduca facile transferunt, & ſua ipſe voluntate ſpoliatus, nihil præter Deum cupiebat, atque in eo colendo, meditandiſque divinis ſic verſabatur, ut quamvis tenuiſſima valetudine eſſet, ne nocturnum quidem ſibi tempus ad quietem relinqueret. Sic autem orando commovebatur, ut eum, cum Davidicos Pſalmos caneret, hilarem, ſeverum, mœrentem, minacem, ore ipſo, geſtuque corporis, ut ſenſus verborum ferret, omnes intuerentur. Sæpe etiam hæc inter effuſe lacrymabatur. Prorſus autem, meditando, alienabatur a ſenſibus, & corpore in ſublime ferebatur. Qua de re Teſtes oculatiſſimi multa in judicio jurejurando confirmata profeſſi ſunt. In ceteris, cum ſacrum ageret, eum aliquando radiantem ſunt qui aderant admirati: aliquando etiam ita eſt viſus attolli, ut ardentes in altari faculas pedibus ipſis æquaret. Illud fuit celebrius, quod accidit eo Sanctiſſimum Chriſti Corporis Sacramentum in ſolemni ſupplicatione ferente. Nam ſiſtente ſacro agmine, &, ut ritus eſt noſtri, ad ea Hymni verba *Tantum ergo* vertente ſe, divinumque flexo genu Sacramentum adorante, ſic Canalis elatus eſt, ut umbraculi, quod geſtabatur, verticem prope contingeret.

Sed Canalem cœleſtibus donis honeſtatum nemo ambigebat eorum, qui ipſum noverant. Nam præter in-

intimam animorum, de qua superius dictum est, notitiam, multa multis prænuntiavit, quæ re ipsa, & certo tempore acciderunt, de quibus in actis plura a Judicibus congesta sunt, quare ab iis referendis abstineo. Novi ego Paullum Carminatum senem in nostra Congregatione suavissimum, præstantem litteris, ac moribus excellentem, cui Adolescenti, ob acerrimam distillationem, copiosamque sanguinis e pectore eruptionem graviter laboranti, phtisicoque a Medicis habito, non incolumitatem ipse modo, sed senium prædixerat: novi, inquam, utentem senectute prospera, nec nisi post annum ætatis octuagesimum in hac Urbe mortuum, qui Canalis virtutem testabatur, & hoc ipsum, de quo agimus vaticinium scriptum ab se reliquit (1) posteris perlegendum.

Eum etiam ferunt impositione manuum a febri, vomitu, sanguinis profluvio, capitis, ac laterum dolore, morsuque venefico, continuo nonnullos sanitati restituisse. Nicolao Alzano Juveni Novitio e mobili scala dilapso, pectusque ad mensæ marginem gravissime illiso, sanguinem ejectanti, ac semimortuo, cum, elatis in cœlum oculis, capite super dexteram posuisset: *Macte*, inquit, *animis*: *melius erit isti morbo*. Is autem perinde convaluit, atque nihil ante labis traxisset. Quanquam Canalis, quasi eum facti pœnituisset, cum rem animadverteret prodigio dari, illum jussit lectulum petere; quod Adolescens obediendo fecit, ceterum plane valens. Nam cum Domini natalis dies esset in posterum, eam vigilavit noctem, egitque nullo incommodo, quæ in ea fieri sacro more consueverunt.

Sed

(1) Servatur in Tabulario Præp. Gen. Mediolani.

Sed jam Canalis ingravescente senio mortem instare sentiebat, de qua sic effabatur, ut certum de ea nuntium videretur accepisse. Hanc quidem anno ante uno prædixerat, professusque est Pascha se moriendo anteversurum. Anno igitur MDCLXXXI ineunte, frigoris caussa dolorem contraxit sinistro in latere acutissimum, captusque febri ad XVI Kal. Februarii decubuit. Quarto post die, cum remisisset febris, e lectulo est egressus, quare ei valetudinem nostri omnes sunt gratulati. Sed ipse latinis his verbis respondit: *Accedet iterum febris, & actum erit.* Hujusmodi dictum dies postera confirmavit. Eum enim incessit febris tam vehemens, ut biduo post, Patres eum vespere sint sciscitati, an sibi vellet Sacramenta adhiberi? hæc enim Medicus præberi jusserat. Cui postulationi respondit: se hora ejus noctis tertia peccata expiaturum; post septimam, Sanctissimum Christi Corpus sumpturum. Quibus cum adstantes interrogando reposuissent: an tantum in eo periculo liceret moræ? *Nihil*, inquit, *nocte hac metuendum*. Rem probavit eventus. Quare statis horis Divina sunt ei administrata. Allato autem Sanctissimo Domini Corpore, cum Sacerdos in eo esset, ut sacram decumbenti buccellam porrigeret, is eum jussit subsistere. Tum oculis in divinum illum panem conjectis, sibi pectus quatiebat, proferebat, autem ea verba: *Deus propitius esto mihi maximo peccatori*; tanta animi vocisque intentione, quanta propemodum publicanus ille protulit, cujus ut sensus accommodabat sibi ipse, ita & assequi animum nitebatur. Tum cibum sumpsit divinum. Reliquam noctem in altissima mysteriorum contemplatione transegit. Duo præterea ab hinc dies sunt lapsi, quibus gravissimi præter modum dolores invaluerunt, erantque

pro-

propemodum intolerabiles, ipse vero contrahebatur totus; quibus mira patientia restitit, vocabatque dolores ipsos *benedictos*.

Hæc inter res accidit, quæ quanto Bartholomæus sibi ipsi despectui esset, facile significavit. Jusserat enim Medicus quendam ei gemmatum liquorem adferri. Quam ipse jussionem audiens, rogavit ne sibi id pararetur, quod nimio esset pretio comparandum. At: *hominis vita*, inquit Medicus, *majoris longe*, *quam pecunia*, *pendenda est*. Cui ille: *Hominis quidem, cujus vita aliquo ob virtutem in pretio sit habenda*, *non mei*. Quo dicto ad Christianam tanti Viri humilitatem prodendam, quid excidere poterat opportunius? Quanquam vero, insistente Medico, præterea non detrectavit. Sed ea nocte cum ipsum vires sensim deficerent, rogabant Nostri, ut sancto liniri se oleo juberet. Quibus, linirent se quidem, respondit, cum vellent; at Sanctissimum ante Christi Corpus adferrent, quo tanquam Viatico uteretur. Ex qua oratione intellectum est, quanta certitudine biduo ante asseveraverat, timendum de suo interitu non fuisse; sed nemo dubitavit, eundem mox esse interiturum. Itaque, & animum expiavit iterum, & divinum Viaticum sumpsit: neque post multo extrema illa unctione est roboratus. Sed erat omnium fletus inconsolabilis. Dolebant enim sanctissimi, suavissimique Viri, quem semper Parentis loco habuissent, amissionem, quantum vix dici queat. Quapropter, ut abscedens supremum saltem beneprecari ipsis vellet, rogabant. Ipse ne a divinis, in quæ mentem omnem transtulerat, avocaretur, Vicario mandavit, id ut faceret suo nomine; ex quo omnium luctus paullo minui est visus. Sed ipse tantam deinceps est passus

dolo-

dolorum vim, ut ejus plane vitam extinxerit. Attamen sine querela, serenoque vultu universam viscerum, & corporis convulsionem ad horam noctis usque nonam sustinuit, Deum deprecans, eique agens gratias. Dein membris omnibus sponte compositis, cęlum intuens, summisque labiis perorans, in eo intuitu, quem sibi jucundissimum esse hilaritate oris significabat, duas horas perseveravit. Demum clausis oculis, sopore quodam placido captus, post horam circiter, somnum obdormivit perpetuum VI. Kal. Februarias anno MDCLXXXI. natus ipse annos LXXV, mensem unum, dies XVII.

Vix est auditum ex ære campano obitus ejus signum, cum ab universo Oppido mira in Collegium nostrum advenit frequentia hominum funus ejus præstolantium. Elato cadavere, cum justa demortuo solverentur, abrepti sanctitatis ejus opinione innumeri Viri, ac Mulieres, manus pedesque osculari, globulorum series, quas coronas dicimus, admovere, commendare se ejus precibus, & alia id genus religiosa argumenta præbere, in quibus ne quid contra admitteretur, quam legibus sancitum est, brevi expeditis omnibus, propereque clausis Templi foribus, Corpus ejus linea breviori, quam *Roccbettum* vocitant, *stolaque* versicolori indutum in arca lignea compositum est. Posita est manus inter ampulla vitrea, in quam descriptum de eo elogium injectum fuit; tum in communi nostrorum Sepulcro est depositum.

Sed eo ab oculis sublato, meritorum ejus fama non desiit. Etenim qui ipsum noverant, cum semper habuissent tanquam Virum sanctitate, religioneque præstantissimum, & multa de eximiis, quibus effulserat, virtutibus commemorarent, visus est

ab ipso interitu claruisse magis. Accessit, quod cum ipsa die, qua elatus est, nonnulli opportunitates ei suas commendavissent, seque ejus præsidium expertos asseverarent; multi deinceps eadem spe excitati ejus deposcere patrocinium pergerent. Qui cum sæpe fierent votorum compotes, eo res cessit, ut Canonicorum insignis Ecclesiæ Modoetiensis Collegium, datis ad Fridericum Vicecomitem Mediolanensem Archiepiscopum supplicibus litteris, oraret, ejus auctoritate decerni Judices, qui in res inquirerent diligentius, testes in judicio juratos exciperent, & in acta compingerent, quæ ad præclari Viri res gestas, ac memoriam pertinere maxime intellexissent. Quod fieri neque post multo cęptum est, anno videlicet ab ejus obitu postero, Petro Paullo Bosca erudito Viro, & Collegii Ecclesiæ Modoetiensis Capite, primario Judice decreto. Quæ investigatio ad annum usque MDCLXXXVIII pervenit, quo demum acta omnia conclusa sunt, ac Romam delata, Sacræ Rituum Congregationi, ut moris est, tradita.

Ejus sane & viventis, & mortui opinio apud omnes viguit præclarissima. Multi enim aut eum alloqui, aut saltem videre cupiebant, quem audissent tanta in omnibus præstantia, atque virtute. Cum in Collegio Montis acuti degeret, eo venit videndi, conveniendique ejus caussa Carolus Septala Derthonensis Antistes, qui cum in ædes, ut fit, humaniter a nostris fuisset exceptus, familiaresque ejus Templum interea ingressi essent, illud insuper accidit, ut Canalem in eo fundentem preces intuerentur alienatum prorsus a sensibus, & in divina abreptum, quemadmodum id ipsis testificantibus, in Acta deinde, de quibus egimus, relatum est. Episcopus ab ejus sermone singularem cepit

cepit animi voluptatem. Sed in nostro Ordine & viguit semper, & viget gestorum ejus maxima commendatio. Quotquot fuerunt eo Magistro instituti, qui quidem septuaginta amplius extiterunt, de mira ejus religione sentiebant quam honestissime. Sex ego novi ex his præstantes Viros, mea quidem memoria superstites, quorum una erat vox, quotiescunque in Bartholomæi Canalis, Institutoris quondam sui, laudes erumperent. Accepi etiam fuisse nonnullos, qui Modoetiam quotannis, tanquam ad locum religiosissimum, ventitabant, quod ejus Viri Magistri quondam sui exuviæ ibidem conditæ servarentur. Interim vero narrabant multa præstantissima, cum de eo facile sermo incidisset. Hos inter Alexander Alciatus, (quemadmodum ab iis accepi, qui ejus narrationi interfuerant) rem profecto mirificam referebat. Nam cum sibi Tironi fortuito ferreus quidam clavus, quo globi lignei in eo ludo truduntur, quem *trochum* vocant, in piscinam decidisset, quæ domestico in horto sita est; Canalis hastam ligneam immergere eum jussit summæ aquæ, atque is parendo ferrum perinde detraxit, atque eidem hastæ fuerat ante conjunctum. In quo si ferrum natavit ipsum, tantique Viri imperio obtemperavit, mirum illud, quod ab Eliseo Dei Viro patratum accepimus [1], lætandum plane est, fuisse ætatis nostræ memoria renovatum.

Statura fuit exigua, valetudine imbecilli, colore subfusco, pallidoque, macilentis malis, oculis semper ad modestiam dejectis, compositus toto corpore. Erat ei præ manibus ad orandum quamsæpissime series illa, quam coronam appellamus, quæ purpureis, candidisque alternatim rosis inserta, quibusdam

[1] IV. Regum. VI.

apparuisse fertur, qui in ipsum intuebantur. Extat in Collegio Modoetiensi Imago ejus, quam omnes, qui ipsum de facie noverant, quam simillimam eidem affirmaverunt. Eam Hyacinthus Santaugustinus, Canali jam pridem mortuo, expressit sine ullo exemplari, præter id, quod memoriæ suggesserat illius, quem ante noverat, recordatio. Quod tamen perhibent non facili negotio fecisse, nisi postquam sepulcro super Bartholomæum oravit, veniam ut daret imaginis suæ rite fingendæ. Ante enim frustra tentaverat, nihilque perfecerat nisi ab illius similitudine quamdissimillimum.

Ejus Corpus in communi sepulcro, ut diximus, jacuit ad annum usque MDCCXL, quo, Petro Francisco Bonatto Præposito Modoetiensi, translatum est meliorem in locum. Cum efferretur, odorem perhibent suavissimum efflavisse.

Quidquid in hanc inveximus Narrationem, ex Actis potissimum, de quibus sæpe mentionem fecimus hausta sunt, quæ in Sacræ Rituum Congregationis Tabulariis asservantur. Hæc autem, rogante Idelphonso Manario Ordinis nostri Præsule, & Clemente XI. P. M. annuente, reserata fuerunt, ut Franciscus Aloysius Barellius, qui per id tempus Congregationis nostræ memorias congerebat, inde traheret quæ sibi accommoda esse viderentur. Nos a Barellio, quod ad id attinet, mutuati sumus. Alia quædam detraximus ex MSS. schedis, quæ in Tabulario Mediolanensi Præpositi Generalis servantur. Alia ex eorum, qui Canalem ipsum noverant, narrationibus. Omnia tamen Sanctæ Romanæ Ecclesiæ judicio decernenda subiicimus, neque aliquid tanquam mirificum, aut divinum asseveramus, neque ei, de quo scripsimus, sanctitatis opinionem ullam conciliare contendimus.

I I.

(II)

GREGORIUS ROSIGNOLIUS

GRegorius Rosignolius honesto genere Burgo Manerii natus (1) Oppido Novariensis agri in primis nobili, ac frequentissimo, cum esset imbutus iis artibus, quibus juvenilis ætas institui solet, nostrum Ordinem ingressus est (2). Ingenium ejus docile, & acutum fuit, candidus animus, & lenis admodum in quadam, quam adolescens præsetulit, & oris, & sermonis ruditate. Quod tamen naturæ vitium & mores ejus, & singularis, quæ in eo doctrina extitit, mirifice emendaverunt. Cum enim studiorum curriculum peregisset, Philosophiam, ac facultates divinas docere jussus, ut ea ferebant tempora, tantam adeptus est commendationem, ut ei præferretur nemo, pauci pares putarentur. Quo munere per annos aliquot gesto, Alexandriæ Statelliorum Collegium moderatus est; quam invitus procurationem suscepit: atque inde Mediolanum missus, (3) quoniam & auctoritate, & rerum agendarum dexteritate præstabat, præfectus est Gymnasii ad S. Alexandrum moderationi, imo ejusdem ædificationi. Tum enim gymnasium erat, quamvis adolescentum numero frequens, squallidum tamen, & angustum, & inordinatum. Nam domus quædam in eum usum coemptæ

(1) Gulielmo Patre, Barbara Buzia Matre anno 1638. die 5. Junii, vocatusque Jo. Baptista. (2) Anno 1656. Anno postero se Deo, & Congregationi devovit die 4. Novembris. [3] Anno 1674.

ptæ fuerant, in quibus neque bono, neque commodo satis loco Discipuli erudiebantur. Verum cum tantum pecuniæ quorundam liberalitate coactum esset, quantum Scholis opportune struendis requireretur, Rosignolius adhibita peritorum hominum diligentia, quanquam non amplissimo loco, eam tamen posuit novæ ædificationis substructionem, quæ satis habuit & ordinis, & laxitatis. Frons ejus elegans excitata est: Via ante disiectis domibus amplificata: fultum columnis medio in gymnasio, & circumdatum porticu peristylium: scalæ adscensu, descensuque amplæ, & varia gradatione, ac planitie discretæ. Cetera deinceps ornata sunt, & adjectionibus quibusdam amplificata.

Sed quantum ornamenti, ac dignitatis loco ipsi adjunctum est, tantundem scientiis, bonisque studiis ab Rosignolio ipso accessit. Eam enim Theologiam tractare jussus, quam moralem appellant, singularem adeptus est famam, eratque impar Auditorum frequentiæ, quanquam non angustus ad docendum locus. Nam ejus facultatis magisterium cum juris, & canonum sacrorum tractatione jungebat. Erat insuper in docendo perspicuus, & ad solvendam quæstionem omnem facilis, & comparatus. Quare ad eum consulendum veniebant omnium ordinum homines, de quo & alio in loco explicate dicam.

Propter ea studia, & propter eorum, qui ipsum sciscitabantur, quæstiones, multa non multo tempore collegit, non satis ordinata quidem, neque plane digesta; sed ea tamen, quæ facile in ordinem redigi posse videbantur, & in certas digeri tractationes. Quod cum amicis ejus innotuisset, eum sunt cohortati, ut opus aliquod ejus ingenio dignum componeret,

ret,

ret, & publici juris faceret. Hæc cohortatio, quanquam initio fuit a Rosignolio neglecta; sciebat enim non omnia facile in vulgus edenda esse; non est tamen plane despecta. Quare cum primum & accommodum sibi tempus, & vim, & facultatem ad opus illud moliendum nactum se esse intellexit, labori manum, haud scio, an lacertos admovit. Etenim cum annis nonnisi sex, volumina evulgasset quinque, spissa admodum, & satis probata, quæ etiam non deinceps multo recusa sunt; nunquam ab edendis operibus destitit, quæ ad volumen usque alterum ac vicesimum excreverunt.

Neque vero ab ea se abdicavit multos annos, de qua diximus, gymnasii præfectura, nec quidquam omisit, quod ad Instituti nostri rationem maxime pertineret. Excipiebat præterea ingentem eorum numerum, qui expiare peccata sua vellent, erantque in his Viri cum nobilitate, ac dignitate, tum doctrina, & auctoritate præclari. Neque erat pueris difficilis, quin eos tanta suavitate complectebatur, ut ad eum, quanquam gravissimum Virum, & confluerent frequentissimi, & in eum essent summo quodam studio affecti. Hos vero institutionibus optimis imbuebat; atque eorum caussa, qui gymnasium nostrum frequentant, libellos edidit ad fovendam pietatem in primis accommodatos. Sæpe etiam, ut animo erat, & ingenio ad omnia paratissimo, & ad Sacrarum Virginum collegia, & ad populum concionabatur. Quod tamen dicendi officium ingravescente ætate deposuit.

Sed ei diuturnum munus fuit, Adolescentum nostrorum, cum primum tirocinium egressi, studiorum curriculum capiunt, magisterium. Hoc, quod in regendis animis, & ad virtutem informandis positum est

est, ita Rosignolius administravit, ut omnes facile intelligerent, quantum in eo valeant & gravitas, & auctoritas, &, quod rei caput est, integritas morum, & quædam insuper nativa bonitas; quæ virtutes, ut in eo excellebant, sic leniter adolescentum animis inferebantur.

Ad hæc, cum sagacitas ejus, ac prudentia satis esset comperta, accidit anno sæculari MDCC, ut Bergomates, Collegii, quod *Misericordiæ* vocant, Præsides, Congregationis nostræ socios accerserent, quibus, & Collegii ejus administrationem, & publici gymnasii magisterium tradituros se affirmabant, si res æquis pactionibus, quod sperabant, facile conveniret. Rosignolius ad instituendam tractationem eo est missus cum Januario Maffetto Bergomate, Ordinis nostri Viro nobili, doctrina, ac pietate præstanti; remque ita confecit, ut nostri, *Missionis*, ut vocant, nomine, eo migraverint; quibus inde discedentibus, Societatis Jesu Viri strenuissimi successerunt: sed hi pariter annos non post multos sunt ab ea Urbe profecti. Collegium illud, ac Gymnasium a *sæcularibus* Sacerdotibus in præsens regitur, suntque in iis Viri & litteris exculti, & eruditi. Ad Rosignolium redeamus.

Hic anno postero Provinciæ Insubricæ Præfectus est renuntiatus. Quæ dignitas cum ei, ne opinanti id quidem, contigisset, sic eum perculit, ut initio vehementer obniteretur, neque eam sine animi ægritudine susceperit administrandam. Solertia ejus in eo munere emicuit, institutique, ac disciplinæ studium, & procuratio. Qua de caussa & Collegia invisit omnia, & monita reliquit sapientia ejus, & probitate digna. Qua tandem provincia cum esset defunctus,

tum

tum sibi visus est respirasse. Adeo amabat privatam vitam vivere, & pristinam studiorum rationem nullo impedimento interceptam insistere.

Hinc etiam multo quam ante diligentius scriptioni, commentationique perpetuæ vires omnes adjecit. Qua in exercitatione, cum opus primo mane cœpisset, ad inclinatam diem, ad multam noctem perseverabat. Omnium enim postremus, quanquam Senex, gravisque Vir, Rem sacram faciebat. Tum prandio curabat corpus, inde se in cubiculum recipiebat, divinumque Officium cum absolvisset, iterum in studiis abdebat se se, a quibus nulla ambulatione, nulla exercitatione corporis, nisi raro admodum, avocabatur. Hinc cum & pingui esset, & lento satis ad motum corpore, fiebat in dies multo & crassior, & ponderosior. Quæ res ejus mortis caussa fuisse visa est, quemadmodum deinceps dicendum est. Adeo etiam abripiebatur in studendo, & alienabatur, ut nihil eorum animadverteret, quæ vel ipsum pertingerent. Quare & hieme algebat sedens, neque frigus persentiscere se affirmabat, nisi cum loco abscederet: & sudorem mittebat æstate effusissimum, neque secius in ea scribebat papyro, quam labentes e fronte guttulæ & infecerant, & humefecerant, prorsus ut atramentum dissiparetur.

Sed aliud in idem argumentum narrabo paullo festivius. Famulabatur ei quidam ex nostris, David nomine, solers, & frugi homo, in quem & erat Rosignolius, propter suam in omnes facilitatem, satis bene animatus. Ille, cum Rosignolius summo mane, quod faciebat quotidie, oratum in Templum concessisset, verrebat absentis cubiculum, lectulum, ut fit, libros, & cetera componebat. Homini igitur, id officii quo-

dam mane exequenti, libræ, qua nescio de caussa, allatæ sunt pyrii pulveris parmensis duæ, suis de more chartis conclusæ, & funiculis alligatæ. Solebat Rosignolius inter studendum multum indici pulveris capere, quem *tabaccum* appellant, atque hunc similibus in chartis contentum, quo facilius admoveret manum, abaco super tenebat. Accidit malo fato, ut David, alio festinanter vocatus, abaco super relinqueret pyrium pulverem, de quo diximus. Revertitur Rosignolius, & studium capit: cumque eum usitatus ad indicum pulverem capiendum pruritus sollicitaret, dissolvit e recentibus involucris unum, & pyrium non secus pulverem crebro attrahit naribus, quam indicum assueverat. Accedit horis post multis David, si quid opis visurus. Videt pyrium pulverem in abaco, ac papyrum solutam: O me pecudem! inquit: O quantum feci incogitans mali! Subticet tamen, & Rosignolium interrogat, num ejus pulveris quidquam sumpserit? Is vero: Cepi, inquit, & est is acer satis, ac bene mordax. Imo, reposuit David, & igneus, & flagrans: Sed, amabo, dic, Pater, an nescis quid inscius sumpseris? Pyrium pro indico sumpsisti pulverem: Sed mea est culpa omnis, fecique per oblivionem. Ad hæc Rosignolius, nihil commotus, eum jussit removeri, neque minus in studendo perrexit; & cum mox frigida allata esset, nares, & os eo pulvere inquinatum abstersit. Quo exemplo satis ostenditur quanta esset moderatione animi, quantumque in studiis abriperetur.

Unum erat, quod studia ejus facile interciperet, summa ejusdem in omnes, qui alloqui eum vellent, humanitas, & promptitudo. Veniebant enim, ut alibi dictum est, ad eum tam multi, ut tandem opus fuerit

rit ei decerni hominem tanquam ab admiſſionibus. Auxerant autem mirum in modum præclari hominis opinionem cum opera ejus, quæ in dies evulgabantur, tum Virorum illuſtrium, apud quos honeſtiſſime audiebat, inita cum eodem conſiliorum, & rerum agendarum conſuetudo. Inter ceteros Benedictus S. R. E. Cardinalis Odeſcalcus, cum primum Mediolanenſem Eccleſiam regendam ſuſcepit, non a conſiliis modo, ſed a ſacris confeſſionibus, ſibi Roſignolium delegit, ejuſque doctrina, & auctoritate fretus, mirifice omnia moderari inſtituit, nihilque doluit magis, quam cum ille non poſt annos multos morte ſublatus eſt. Verum & multo pridem Senatores ampliſſimi, graviſſimi Judices, Patroni celebres, Viri principes, Mercatores, Publicani, Trapezitæ, omnium denique ordinum homines conveniebant ſæpe, ejuſque difficillimis in rebus ſapientiam conſulebant. Omnes dicta, & conſilia ſpectatiſſimi Viri, quaſi de tripode oracula, excipiebant. Nemo ab eo diſceſſit non ejus prudentiam, ac modeſtiam admiratus.

Ac modeſtia quidem in ejus virtutibus eminebat, tantumque a laude abhorruit, quantum eandem vel indocti ſæpe homines aucupantur. Mirum eſt, Virum tanta auctoritate, atque doctrina, animo ſemper fuiſſe comi, atque ſummiſſo, nec quenquam aut neglexiſſe, aut non humaniter habuiſſe. Quanquam enim ſui eſſet negligens, ceterorum habebat rationem, nec patiebatur quenquam quamvis humilem dimitti; quin ipſa hominum tenuitas ſæpe apud ipſum erat loco quamoptimæ commendationis. Animo præterea fuit magno, ac liberali, ut ipſum neque operis, neque laboris difficultas abſterreret, aut frangeret. Quidquid nummum ab librorum ſuorum evulga-

tione rediret, in aliorum pariter voluminum editionem insumpsit; cumque aliquid accessisset lucri, aut in domesticos usus, aut in Templi ornamentum contulit. Atque hoc, & auro, & picturis, ejus potissimum largitate est exornatum. Custos fuit institutorum nostrorum acerrimus, is tamen, quem & facilitas, & mansuetudo perpetua temperaverunt. Candore, & animi, & morum eximio, omnes in sui traxit amorem, & admirationem.

Hæc inter anno MDCCXIV *Visitator* delectus est, quæ dignitas in Ordine nostro plurimum quidem habet honestatis, nullam tamen, ut alio dicam in loco, certam procurationem. Quare in ea suscipienda, quanquam honores vehementissime abhorreret, minus quam ante difficilis visus est. Sed deinceps, propter eam, de qua diximus, corporis, humorumque gravedinem, valetudine usus est minus bona, cępitque & stomacho languescere, & capite. Deliquia interdum gravia eum sensu, motuque defecerant. Perdiu morbus, sed frustra, ex arte curatus est. Metuere omnes illius interitum, hortarique, ut salubriori cœlo valetudini, vitæque consuleret. Accessit Medicorum in id consilium, & cohortatio, ut solent ii magnum, vel desperatis in rebus, in aeris clementia prędidium ponere. His igitur suadentibus, Vir docilis magis, quam incolumitatis suæ cupidus, morem esse gerendum duxit. Quare appetente æstu in Brianteos se colles recepit, in quibus loco satis amœno Domus ad rusticandum sita est, quam S. Barnabæ Collegium possidet. Illuc igitur cum se contulisset, & aliquandiu salubri eo cœlo usus esset, visus est habere longe melius; quare & reditum suscepit, venitque Modoetiam. Quo in oppido cum dies aliquot moratus esset, Me-

dio.

diolanum meditabatur. Sed in eo Modoetienſi Collegio mors eum inopina aggreſſa eſt. Quanquam ipſe integritate illa vitæ, de qua diximus, ſe ſe communi illi fato perpetuum comparaverat. Graviſſima igitur apoplexia correptus, nitentibus fruſtra Medicis, Vir tanta virtute, atque doctrina ſpectandus, tanta prædитus auctoritate, tanta fama illuſtris ibidem corpus reliquit, ſpiritum ad ſuperos miſit, v. Idus Julias anno MDCCXV., annos ipſe natus LXXVII., dies xxv.

Ejus mortis nuntius Mediolanum perculiſſe viſus eſt univerſum. Noſtri potiſsimum doluerunt, qui quantum amiſiſſent Virum præ omnibus intelligebant. Ad ejus memoriam poſitum fuit in Collegii Actis Elogium præſtantiſsimum, quod Hyacinthus Gariboldus clarus in gymnaſio noſtro Rethoricæ tum Profeſſor conſcripſit, eſtque imago ejus depicta, & in ſcholarum atrio poſita.

Statura fuit grandiori, colore ſubfuſco, rudiori crine, craſſo corpore, horridiori facie, atque ſermone; quare neque in loquendo copioſus fuit, nec multum elegans, perſpicuus tamen, & in brevitate ipſa facilis, & ponderoſus. Inerat ei tamen & dignitas, & honeſtas, & in ipſa, de qua diximus, nativa inconcinnitate & comitas, & urbanitas cum ſimplici candore, & antiqua fide conjuncta. Hujus extitit germanus Frater Carolus Gregorius Roſignolius, Vir in clariſsima Societate Jeſu pietate eximius, & ſacris operibus editis nemini non notus. Gregorii noſtri Opera ſequenti pagina recenſentur.

Pra-

Praxis Theologicolegalis de Contractibus ut sic: Emptione, & Venditione, Mutuo, & Usura, Emphytheusi, & Censibus. 1678, & iterum 1719 in fol.
De Cambiis, & Permutatione. 1680, iterum 1697 in fol.
De Societatibus, Simonia, Commodato, & Deposito. 1682, iterum 1704 in fol.
De Locato, & Conducto, Pignore, & Hypotheca, Fidejussione, & Assecuratione, & de Transactionibus. 1683, iterum 1707 in fol.
De Sponsalibus. 1684, iterum 1711 in fol.
De Matrimonio Pars prima. 1685 in fol.
De Matrimonio Pars altera. 1688 in fol.
De effectibus Matrimonii. 1690 in fol.
De Restitutione. 1688 in fol.
De Dote Pars prima. 1691 in fol.
De Dote Pars secunda. 1693 in fol.
De Tutore, & Curatore Pars prima. 1695 in fol.
De Tutore, & Curatore Pars secunda. 1699 in fol.
De Sacram. in communi, & in particulari. Vol. IV. in fol.
De Patria potestate. 1709 in fol.
Hęc eo vivo sunt evulgata. Post ejus obitum prodierunt:
De Censuris Ecclesiasticis Pars prima.
De iisdem Pars altera. 1722 in fol.

Omnia Mediolani typis Malatestæ procusa:

Opuscula quinque vulgari sermone ad Juvenum pietatem fovendam accommodata.

Rosignolium commendaverunt Actorum Lipsiensium Auctores. De eo meminit Cotta *in Musæo Novariensi*, Augustinus Fontana *in Amphit. Legali*, Philippus Argelatus in additamentis Bibliothecæ Mediolanensis. Omnia a nobis hausta sunt ex Actis Collegiorum, potissimum vero Collegii Mediolanensis S. Alexandri. Quædam audivimus ab iis, qui eo familiariter sunt usi. JOA-

(III)

JOANNES ANDREAS MAZZEJUS

JOannes Andreas Mazzejus Romæ natus eſt Parentibus Florentinis (1), qui cum mercaturæ cauſſa in Urbem demigraviſſent, eundem inibi procreatum optime inſtitui curaverunt. Quare in Collegium Capranicenſe cooptatus, ſeptennium egit in ſtudiis humanitatis, eoſque fecit progreſſus, qui in Adoleſcente maximi habeantur. Erat ingenioſus in primis, ſolers, laborioſus, nihilque prætermittebat, quod litteris adjumento eſſe intelligeret. Præterea cum in Romano Collegio Philoſophiam, ac Theologiam feliciter didiciſſet, laureæ ornamentum adeptus eſt in iis facultatibus.

Hinc ſe ſe ad Juriſprudentiam tranſtulit, quam adeo aſſecutus eſt, ut ſit etiam aliquanto in cauſis, & foro verſatus. Sed deinceps paullo duriori rerum initio eſt uſus. Nam cum Pater ejus interea vita defunctus eſſet, in ipſum recidit familiæ omnis, reique domeſticæ procuratio: & quamvis non præſenti inopia opprimeretur; tamen cum omnia ante ex mercatura redirent, intelligebat, aut rem infeliciter habituram, aut ſibi a ſtudiorum, ſuſceptique inſtituti ratione diſcedendum: quorum utrumque erat ipſi graviſsimum. Acceſsit, quod acuto morbo adductus eſt in extremum vitæ

(1) Petro Patre, Alexandra Donnina Matre, die 13 Maii Ann. 1669.

vitæ periculum. Hujus cauſſa cum Deum vehementius exoraret, pollicitus eſt, ſi incolumis evaſiſſet, ſe ei perpetuum in aliquo Religioſorum Hominum cętu famulaturum. Convaluit autem, nihilque cogitavit magis, quam ut voti ſe quantocius liberaret. Quapropter, re omni domeſtica diligenter compoſita, fratreque natu minimo, quem unicum habuit, Matri ſuæ ſolerti fœminę commendato, in Ordinem noſtrum excipi poſtulavit. Ejus ingenium, ut Phidiæ ſignum, ſimul adſpectum, & probatum eſt. Quare annum natus quartum ac viceſimum, Tironibus noſtris annumeratus, anno poſtero in Congregationem adſcitus eſt, cum ſolemni, de more, ſacramento militiæ huic ſe devoviſſet.

Erat Mazzejus, quemadmodum ætate, ita & moribus, & eruditione non adoleſcens. Ipſum Majores & ad Juvenes edocendos aptiſsimum intelligebant, & ipſi id muneris decernendum eſſe conſtituebant. Verum quod eſſet in Ordine adhuc recens, neque ſtudiorum noſtrorum rationem uſu ipſo perdiſcere potuiſſet, juſſerunt Theologiæ ſe dedere annum unum, ut ſtudium illud, multo ante a ſe prætermiſſum, in memoriam, & exercitationem revocaret, fieretque aliorum inſtitutioni in primis accommodatus. Quod Romæ cum perfeciſſet, facileque æquales ſuos eruditione non æquaſſet modo, ſed præſtitiſſet, Maceratam eſt miſſus, ubi primum Adoleſcentes noſtros Rethoricam docuit [qua ſemper maxime excelluerat, quamque in primis adamaverat], Philoſophiam deinceps, ac Theologiam, in qua facultate cum pari laude emineret, habitus eſt in optimis, non ejus Urbis modo, ſed ejus ætatis Theologis; fuiſſetque ad eam Romæ tradendam evocatus, niſi eodem,

quo

quo hæc tractatio habebatur anno, Præpositus Maceratensis fuisset decretus.

Hanc sortitus administrationem, prudenter, urbane, humaniter egit omnia. Sed cum semper, ut diximus, studiis humanitatis fuisset deditus, nunc quando illa gravissima deposuisset, ad hæc suaviora convertit animum, & quidquid a domestico regimine vacabat temporis, eisdem universum devovit. Nihil itaque habebat Cicerone familiarius, nihil ejus operum lectione, studioque antiquius. Sic autem in divino illo Oratore annos aliquot versatus est, ut multa ex eo collegerit, multa in eum gravi volumine adnotaverit, de quibus & dicam alio in loco. Sed etruscæ insuper linguæ funditus perdiscendæ eum incessit cupido. Nec frustra. Nam sibi ut inesset perfecta illa loquendi laus, multis litteris, & iis quidem reconditis, & exquisitis, summoque studio, & diligentia triennio tandem est consecutus. Fatebatur autem hanc sibi linguam longe graviori labore stetisse ceteris, quas didicerat, cum linguis, tum scientiis omnibus. Volumen superest ejus manu conscriptum, in quo ad sermonis hujusmodi puritatem, & elegantiam multa continentur optima, quanquam lectu difficilia ob scriptionem.

Nec latine modo, ac etrusce, sed græce non minus diserte scripsit, cum prosa oratione, tum versibus. Reliquit enim græca quædam epigrammata, quæ fuerant, quemadmodum accipio, facilia in primis, & elegantia; sed hæc quanquam diutius apud quendam servata, nunc audio, non ante annos multos, seu casu, seu negligentia intercidisse. Propter hujusmodi litterarum studium domesticam Bibliothecam, cum aliis optimis, tum græcis præsertim Sanctorum Patrum codicibus locupletavit magno sumptu; neque haud mul-

to post in summam venit Dominici Lazarini Maceratensis Viri Patricii, clarissimique consuetudinem, qui facile ob studiorum similitudinem Mazzejo se adjunxit, ejusque cubiculum frequentabat, quod erat Eruditorum omnium ejus Urbis, ac finitimarum, egregium quoddam Concilium [1]. Fama est, Lazarinum Ecclesiasticæ historiæ perdiscendæ studiosum multa a Mazzejo didicisse; Mazzejum contra a Lazarino hausisse plura, quæ ad græcę linguæ nitorem, ac puritatem maxime pertinerent. Sane, quoad Mazzejus vixit, perpetua extitit studiorum utriusque communicatio. In ceteris, quæ ad ipsum Lazarinus Patavio misit, *Ulissis* fuit Tragœdia, qua super Mazzejus multa animadvertit, quæ in ejus schedis sunt reperta, eique per litteras significavit.

Sed ei Maceratensi illa præfectura defuncto aliud munus obtigit, librorum videlicet divinæ historiæ festis diebus, ut nostri instituti est, in Templo explanandorum (2). Cui muneri cum aliis de caussis, visus est quam appositus, tum insuper quod orientalium linguarum studio aliquando fuerat delectatus. Hinc Patrum græcorum, ac latinorum lectioni multo quam ante studiosius applicuit animum. Delectabatur autem Chrysostomo, ac Hieronymo vehementius; atque hujus nervosam, robustamque eloquentiam sic imitabatur, ut quidam, neque ineruditi Viri, eundem cum Hieronymo ipso conferrent. Propter hanc Doctoris Maximi imitationem, illud facile animadvertit,

(1) Præter Lazarinum accedebant ad eum quotidie Joseph Alaleona, Vir litteratissimus, qui in Gymnasio deinde Patavino fuit præcipuus Legum Interpres: Jo. Maria Baldinuccius *Marchio* Vir æque nobilis, ac disertus, quemadmodum editæ ejus res innuunt: Antonius Palmuccius nobilis item & eruditus; aliique præstantes celebresque Viri. (2) Anno 1710 Kal. Novemb.

tit, multa haberi, quæ Tanti Viri nomine circumferrentur, sed ea neque ab ipso scripta fuisse, neque potuisse eo auctore conscribi. Quare de germana illius operum editione cogitandum esse affirmabat, in quam paraverat adversaria quædam, si cui bonam hujus procurandæ mentem Deus injiceret aliquando; nam ipse intelligebat multa sibimet deesse ad tantum opus perficiendum adjumenta. Anno præterea post tertio, quam ea studia susceperat, Romanæ Provinciæ decretus est Moderator; quæ occupatio eundem & ab interpretandæ divinæ Scripturæ officio, & ab studiis hujusmodi paullo semovit. Non ea tamen, de quibus diximus, ejus scripta interierunt; nam cum in summam venisset deinde excellentium e Cassinensibus Virorum consuetudinem, hæc eis sunt tradita, & ab his, ut putamus, cum Maurinis Editoribus communicata. Quam conjecturam is facile confirmabit, qui novam Hieronymi editionem cum iis conferat, quæ adhuc superant, adversariis, ut in ejus operum elenco dicturi sumus.

Accidit eo temporis numisma quoddam aureum (ut mihi quidem relatum est) Romæ detegi, Asellæ pullum lactantis nota percussum, eorum, ut arbitror, non absimile, quæ sub Alexandro Severo (quemadmodum Vir Nobilis Eques Victorius censuit) (1) procusa fuerunt in nostræ Religionis opprobrium. Eo ad Clementem XI. P. M. delato, multi jubente Pontifice Eruditi Viri suas in id commentationes scripserunt. Michael Teronus Theologus ex nostris exi-

(1) *De Vetustate, & forma Monogrammatis Sanctissimi Nominis Jesu* Dissertatione Romæ edita 1747. Item *Dissertatione Apologetica* in Virum Eruditum Paulum Mariam Paciaudum Romæ 1749.

mius, qui & deinde Sulmonensis fuit Antistes, adibat quam sæpe Pontificem, propter eas, quæ tum in Quesnellii propositiones habebantur, consultationes. Eum Clemens est sciscitatus, an quisquam in nobis esset rei nummariæ, antiquitatisque studiosus. A quo cum Mazzejum in his excellere intellexisset, tum Pontifex Terono numisma ipsum tradidit, Mazzejo transmittendum. Quo is diligenter investigato, statim Commentarium conscripsit optimum, foliis digestum quatuor & viginti, quem Pontifex sic probavit, ut nullam affirmaret scriptionem in id accuratiorem se perlegisse. Hunc ego Commentarium diligentissime exquisivi, Romamque, ut perquireretur, scripsi; cumque superiore anno eodem profectus essem, omnem posui diligentiam, si forte reperiri posset iis in locis, in quibus latere suspicabamur. Nihil vero minus. Dolendum & huic opusculo id contigisse, quod aliis multis tam diserti Viri scriptionibus, ut sit deperditum: utinam non deletum. Videtur enim nescio quo fato accidisse, ut nemo magis multa Mazzejo scripserit, nemo Mazzejo ipso contempserit sua magis. Etenim optandum erat hoc temporis Mazzei lucubrationem inspicere, & eam cum Victorii & Paciaudi disertorum Virorum animadversionibus diligenter conferre.

Mazzejus Romanæ Provinciæ præfectura defunctus, *Visitatoris*, ut ajunt, dignitatem nactus est; quæ quoniam apud nos nulli certæ procurationi est obnoxia, præter eum, qui cum ipsa conjunctus est, honestatis gradum, illud pariter habet commodi, ut qui ea utitur, si quæ amet studia, nullo in eis impedimento teneatur. Jamdiu autem erat cum Mazzejus Ciceronis studiosissimus Arpinum se recipere, illius Patria, meditabatur. Cupiebat autem pluribus de caussis vehemen-

tius

tius. Primum ut religioni in Deum, tranquillitati animi, suæque in studia quælibet voluntati indulgeret plane ex sententia. Est enim eo loci nostrorum Collegium ut non multum frequens, sic beatæ illi quieti in primis accommodatum. Deinde ut præclarissimi illius Oratoris natale solum, & certa de eo monumenta diligentius investigaret. Præterea insuper ut Cæsaris Baronii Patriam ei loco finitimam inviseret pro ea, qua tenebatur in tantum Virum observantia, singularique doctrinæ, & operum ejus opinione.

Illuc igitur, posteaquam Maceratæ annos moratus fuisset amplius viginti, libens, ac volens se transtulit. Neque id Majores, propter hominis dignitatem, auctoritatemque, detrectaverunt: quanquam sciebant obscuro nimis loco tantam opprimi sapientiam, quæ facile posset in Urbe quavis celeberrima eminere. Ac Tullium illustrandum quod attinet, cum Mazzejus ea sæpe legisset, quæ altero de Legibus libro sub initium de se ipse habet verba, nunquam in animum induxerat, Oratorum Principem in eo natum domicilio fuisse, quod in ipsa Arpinati Urbe visitur, Domusque Ciceronis vulgo appellatur. Nunc vero cum rem scrutari propius posset, haberetque Ciceronem fatentem in ea se natum Villa, quam lautius in Fibreni Insula Pater suus ædificaverat, tum scripsit pauca quædam in hoc argumentum, quibus vulgatam illam opinionem convelleret. Convelli autem nullo negotio poterat. Nam qui Tullianum illud testimonium perlegerit, nequit, mea quidem sententia, nisi stertendo, aut oscitando, desipere: [1] Solum insuper cum in

In-

(1) Sic enim habet de ea loquens Insula: *Hæc est mea, & hujus fratris mei germana patria; hinc enim orti stirpe antiquissima &c.*

Quid

Insula, eo procurante, paullo fuisset effossum, vestigia quædam antiquæ ædificationis sunt reperta, quæ Tullianæ illius Villæ rudera nemo non intellexit. Scriptum illud, Mazzejo assentiente, Carolo Ruggerio optimo tum ingenio Adolescenti traditum est, nunc Viro gravioribus in rebus, quemadmodum ad me scriptum est, Mediolani versanti.

Aliud relatum est ad me, quod ei fortuna obtulisse visa est, ad illustrandum Ciceronem, studium ejus non contemnendum. Etenim cum, ante quoddam Templum inambulans, animadvertisset fuisse materiei loco infixum in ejus fronte vetus quoddam, sed albario superinducto prope obrutum monumentum, non contemnendum tamen, quantum id sibi procul conspicienti videbatur, continuo Carolum Baldassinum Sacerdotem ex nostris Comitem suum rogavit, ut eo conscenderet, albariumque abstergeret. Fecit is libens, qui Mazzejum, & semper amavit plurimum, & observavit, quin omnem prope tanti Viri memoriam unus omnium custodivit. Quare eum tanto libentius & in præsens commemoro, & inferius commemorabo, quantum ipsi acceptam refero universam propemodum, quam huc intuli, rerum a Mazzejo gestarum notitiam. Tria igitur monumento insculpta capita, & litteræ apparuerunt. Tum Mazzejus eo scandere non est diffisus, legitque non sine admiratione optimam, ut ajebat, epigraphen, affirmavitque tribus fuisse positam, quas Tullius ex Gallia ha-

Quid plura? Hanc vides villam, ut nunc quidem est, lautius ædificatam Patris nostri studio &c.? Sed hoc ipso in loco cum Avus viveret, & antiquo more parva esset villa, ut illa Curiana in Sabinis, me scito esse natum.

habuit Libertabus. (1) Boncompagnus Soræ, Arpinique Dynasta clarissimus, delata ad se inventi hujus notitia, Joanninum Neapoli accersivit, Virum rei antiquariæ peritissimum, quicum Mazzejus de germana lapidis illius dedicatione diligentius investigaret. Dissentiebat initio Neapolitanus; adversabatur Mazzejus: Demum cum is argumenta gravissima protulisset, & singulari eruditione probasset; Joanninus Mazzejo dedit manus, fuitque una utriusque sententia, & affirmatio.

Baronii autem, cujus patrium sæpe solum, patriamque domum intuebatur, majori in dies studio flagrabat. Etenim cum Annales ejus quamsæpissime volutaret, legeretque una Pagii criticem in eosdem; quanquam multa, quę Pagius animadverterat, non respueret, pluribus tamen affirmabat Baronium injuria fuisse multatum. Quapropter ejusdem vindicias meditabatur; Criticem nempe in Pagii criticem. Ad quod opus, grave admodum, ac laboriosum, totis se lacertis comparabat, cum eum Amici cohortati essent, quando tot, ac tam multa diversis de rebus scripserat, quorum nihil fuerat evulgatum, aliquid tandem proferret singulari ejus eruditione dignum, rei vero litterariæ utilitate maxime commendandum. Et jam congesserat in hoc opus plurima, & in spissum volumen re-

(1) En ipsam, quemadmodum reperta est in Auctoris nostri MSS.

Monumentum apud PP. Conventuales Arpini.

P. FVFIDIVS NOTVS FECIT. V. ꝑ.
FVFIDIAE. P. L. FVFIDIAE. P. L. AVGR. FVFIDIAE. P. I.
NOTAE SORORI MATRI SATVRNINAE. V.

Mazzejus ad lapidis illustrationem, hæc in scripti margine annotavit. *Quidam Fufidius partium Syllanarum, dehonestamentum omnium bonorum vocatur apud Sallustium in oratione M. Æmilii Lepidi, Histor. lib. 1.*

redegerat; sed ajebat ea non esse satis: alia longe plura, ac meliora colligenda esse, quæ quidem sperabat se Romæ facili negotio collecturum. Nam Romam erat profecturus ob eam caussam, de qua deinceps; quanquam inopinato fato prohibitus est eo proficisci, quemadmodum dicam.

Sed Arpini Mazzejus adeo inclaruerat, ut nemo non ejus doctrinam admiraretur, non ejus consuetudine delectaretur. Multi etiam studia ejus interpellabant, quod tacite quidem, sed paullo ferebat graviter, seque illa veteri potiundæ tranquillitatis spe falsum fuisse affirmabat (1). Neque municipes modo, sed & finitimi, propter ejus præclaras virtutes, ei se facile adjungebant. Cassinates in primis Monachi quanti eum facerent luculentissimis significationibus demonstrarunt. Magnam enim cum summis Viris, Gaeta, qui tum universo eorum cœtui præerat, de Mirro, Gattula, Franchino, Abbatibus disertissimis, contraxerat familiaritatem. Quare vel ad eum sæpe veniebant, vel, missa propter id ipsum rheda, eundem ad se Cassinum deduci curabant. Cum huc ventum esset, omnis in eruditione cum Viris illis eruditissimis versabatur sermo, atque tractatio. Si qua Adolescentum instituendorum caussa disputatio haberetur, rogabant, propositas ad disceptandum opiniones, rationibus, quemadmodum fit, & argumentationibus ut agitaret. Quod cum mi-

(1) Scripsit in hoc ipsum sequens epigramma

Cum turbis procul in Volscorum hoc monte putarem
Uni animo, atque uni posse vacare Deo,
Propterea fugi Pici male cautus ab agro,
Quo longas traxi in te, Macerata, moras.
Verum usus docuit, dum culpa huc usque secuta est,
Hoc vitium esse animi, non vitium esse loci.

mirifice perficiebat, tum ampliorem longe doctrinæ famam assequebatur. Neque enim Theologicas modo quæstiones, & omne polemicarum controversiarum genus, sed Historiam sæpe, Canonicum jus, Cronologiam, Rem diplomaticam tractabat ex tempore. Nihil clarissimis illis Viris Mazzeii discessione gravius videbatur, quem perdiu, & quoad longissime poterant interpositis nominibus morabantur, nec dimittebant nisi donatum rebus optimis, quas rhedæ imponi, eo inscio, curabant. Nam scientem, ut ea acciperet, nulla ratione induci posse intelligebant; fuit enim summa abstinentia, de qua alio erit loco dicendum. Præterea cum Viri & nobilitate principes, & doctrina clarissimi persæpe Boncompagnum ejus Urbis Dynastam Neapoli convenirent, is, qui Mazzejum summo semper in honore habuit, prædicabat apud Convenas sapientiam Viri in Urbe sua doctissimi. Fiebat vero ut omnes alloqui eum cuperent, quibus, etsi jactationem refugeret, tamen non deerat expetitus, multoque magis oratione sua illorum de se opinionem amplificabat.

At Boncompagnus cum se quampulcherrimam Liberorum Mazzeii magisterio instituendorum occasionem nactum esse intelligeret; Eidem in aulam suam, quæ in Fibreni est Insula, Præpositorum facultate traducto, Filium natu maximum erudiendum dedit; quo in munere Vir egregius tanta sedulitate usus est, ut majori nemo, pari autem in informandis Adolescentibus vix quisquam utatur. Fecissetque præclarissimus Juvenis progressus longe majores, nisi post annum vix unum transferri Romam appetiisset. Quod est facile consecutus, cum propter summam Urbis excellentiam, tum propter eam, quam Boncompagna Gens

habet in Urbe, clarissimam cognationem. (1) In aula tamen Mazzejus restitit quanquam invitus, quod sibi ut a sacris esset confessionibus, abeunte Filio, Mater lectissima Fœmina eundem summis precibus exoraverat, neque illi deesse potuit, quæ eo loci dominabatur.

Hæc inter Nostrorum in Sinas migratio parabatur, de qua in Calchi, ac Rotarii Vita dicendum erit. Ea de caussa Clemens XI. P. M. quadam in Ordinem nostrum benevolentis animi significatione usus, voluit ut in Romano illo, quem Rituum Congregationem appellant, conventu nostrorum quispiam Consultor decerneretur. Quare cum Pontifici pridem Mazzejus, & propter eam in asellæ numisma dissertationem innotuisset, commendatusque fuisset in præsens tanquam ei muneri accommodatissimus, is præ ceteris delectus est, cui munus hujusmodi crederetur. Sed eum mors inopina ab illo honoris loco semovit. Etenim non post multo febri quadam correptus est, levi equidem, & cui nullum inesse vitæ periculum Medici testabantur. Non acquievit is tamen. Nam die post contractam febrim altera, Arpinum deduci voluit. Cui cum Baldassinus suaderet morbum esse levissimum, nullo moram detrimento fore, melioribus eo loci, quam Arpini, Medicis usurum: *At mihi*, inquit, *cer-*

(1) Ei discedenti dedit Mazzejus hæc carmina:

Cajetane vale, ac salve, Lodovisa propago,
Et Boncompagnæ spes, columenque Domus.
Quin & vive diu, imo vivas Nestoris annos,
Et quot in Eois unica vivit avis.
Atque ubi te satias terrarum ceperit orbis,
Sublatus meritis hinc super astra tuis,
Semideum cæli vitam non ultimus heros
Vive, atque id sæclis innumerabilibus.

certum est nostros inter sodales emori. Illo autem reponente, non Arpini eum, sed Romæ, quo expectabatur, summa in senectute moriturum, tum is ex tempore, quod & solebat alias, sequens protulit epigramma:

Urbs genuit, Juvenemque aluit, dein condita in agro
Piceno tenuit me Macerata diu.
Jamque senem vidit Tullj me Patria, donec
Conclusum Lyri hac Insula parva tenet.
O utinam Cęlum post hac mihi scandere detur!
Et vitare tuos Styx truculenta lacus.
Nil etenim refert, hoc si succedat utrumque,
Quo natus sis, vel quo moriare loco.

Carminibus pronuntiatis continuo e lecto prosiliit, & probe vestitus Arpinum translatus est in sella hominum manu: quo Medicus statim ex aula missus advenit cum atriensi jusso in dies singulos ecquid morbo esset afferre. Paucis post diebus Medicus Mazzejum fore incolumem pronuntiavit: sic morbum remisisse, nihil ut esset extimescendum. At noster præsagiebat interitum, eique comparabat in dies se se. Quare Baldassinum rogavit ut quasdam Augustini sententias in pagellis describeret, quas ipse dictabat, dein scriptas, præque oculis positas crebro intuitu meditabatur. Formulam præterea, seu professionem, ut vocant, Christianæ fidei, ejusdem manu conscriptam, capiti ut supponeret, postulavit. Nulla usus est lento in morbo querela, nulla audita vox constantia, & gravitate ejus indigna; nihil enim ab ejus ore, præter hoc dictum, excidit: *Ignoscat Deus auctori*: quod repetebat interdum, nunquam tamen quo respiceret, quanquam interrogatus, significavit. Sacris demum cum fuisset rite expiatus, illud immortalitate dignum

ingenium, illa humanitas, illa virtus morte extincta immatura est, cum annum ætatis vix primum, & quinquagesimum attigisset, anno MDCCXX. XII. Kal. Novemb.

De caussa ejus mortis multis modis a plerisque scriptum est. Sed nihil de ea est compertum. Illud sane gravissimum: Virum tanta eruditione, atque doctrina, in locis degisse aut obscuris, aut minus illustribus quoad vixit: eundem, cum sibi honestissima Romanæ Urbis lux, ac dignitas decreta esset, tum morte fuisse sublatum. Justa sunt ei cum Arpini, tum in Insula aulico sumptu, atque Arpini quidem triduo persoluta.

Illius interitum Cassinenses Monachi cum a Baldassino accepissent, responderunt: Magnam litteras fecisse jacturam: Dolendum vero esse, præstantem Virum, ab Academiis omnium celeberrimis non complectendum modo, sed expetendum, & obscurius vixisse, & occidisse immaturius. Lazarinus autem mortem deflens Viri sibi amicissimi, tanto affirmabat eam litteris fuisse graviorem, quanto paucissimi reperiuntur, qui cum eo possent ingenio, & eruditione conferri.

Fuit pulcra facie, ampla fronte, procero corpore, animo candido, moribus integris. Abstinentia ponitur in ejus laudibus; etenim non modo nihil concupivit, sed & multa respuit, cum ea accipere rogaretur. Curavit Baldinuccius, Vir inter Maceratenses in primis nobilis, ac disertus, aureum ei hispanicum dari, unum ut ejus rogatu sacrificium offerret. *At offeram*, inquit, *triginta*. Triginta autem obtulit. Arpini postulatus triginta ut sacra faceret, cum ei triginta numerata essent scuta argentea, quanquam sciebat, ex Dynastarum liberalitate eam largitatem

tem proficiſci, eadem recuſavit. Sed hæc tamen, eo inſcio, Procuratori Collegii noſtri ſoluta ſunt, qui cum id pecuniæ ſervatum ejus nomine deinde aperuiſſet, paullo viſus eſt ab ipſo excipi acerbius, argentumque in Templi noſtri, quod tum excitabatur, ędificationem ejus juſſu conlatum eſt.

Verum non eſt mirandum tam parvi feciſſe pecuniam, cum ſe ipſum Mazzejus penderet minimi. In tanta enim eruditione ſingulari fuit modeſtia, neque aut laudem cupiit, aut libens excepit, aut aliquam ſuimet haberi poſſe rationem exiſtimavit. Nam cum Auguſtam Taurinorum, non ſecus quam ante Piſas, evocatus fuiſſet, humanas ut litteras publico in Licæo profiteretur, eique in Eruditorum hominum, de quo ſuperius diximus, cœtu verſanti redditæ fuiſſent de hoc ipſo litteræ; tum quaſi dolens, ac ſubindignans: *At plane*, inquit, *neſcio, queat ut quis magiſterio huic me habere idoneum, quod ſuſcipi a me quidem, at nulla, neque mei, neque Ordinis noſtri, cum honeſtate geri poſſe, ſatis intelligo* (1). Tanta etiam diſſimulatione eruditionem ſuam coram diſertis Viris occuluit, ut vel ipſum initio negligerent, vel amplificatam ſapientiæ ejus famam opinarentur. Quanquam deinceps fama ejus comperiebant ampliorem longe eſſe doctrinam. Unum, ut alia prætercam, exemplum profero.

Venit in Inſulam Nicolaus Gallius, ex Alviti Ducibus, Vir ſumma & generis nobilitate, & litterarum præſtantia clariſſimus. Fuerat hic, quemadmodum ferunt, a Clemente XI. Pontifice Maximo ſibi ab admiſ-

(1) Hoc ipſum audiſſe ſe, Franciſcus Palmuccius Vir nobilis, qui & nunc vivit, teſtatus eſt; quemadmodum Angelus Cortenovius ex Noſtris, Vir litterarum omnium ſtudioſus, data ad me nuper epiſtola ſignificavit.

missionibus decretus, tenuissetque eum locum, nisi anteactæ vitæ, studiorumque suorum rationem illi quanquam honestissimo muneri antetulisset. Hic a Boncompagno, Viro, quem convenerat, sibi amicissimo, cum multa fuissent in familiari sermone de Mazzejo præclare commemorata, Arpinum deduci voluit (nondum enim Mazzejus in aulam venerat) ut ipsum de facie cognosceret, loquendoque doctrinam ejus experiretur. Mazzejus, audito Ducis adventu, eum sub vesperam adiit salutatum. Vix paucis officii caussa utrinque dictis, tentare Gallius hominis eruditionem continuo cœpit. Hic omnem declinare sermonem, aut paucis admodum respondere: sensus etiam accommodare, ut subdubitans, ac trepidus videretur. Gallius initio mirari, neque post multo opinione hominis falsum se arbitratus, *Hic vero*, submissa voce, *est ille*, inquit, *Vir tam disertus?* Sed ita Mazzejus loqui deinceps aggressus est, ut Gallium conjecerit in summam sui admirationem; quare is cum loquentis gravitate, ac sapientia mirifice teneretur, non cœnam modo labentem in noctem distulit, sed noctem integram erudito in sermone transegit, & quanquam dies jam illucesceret, non longa visa est, sed brevior, quam voluisset, ea nox, & sermocinatio.

Sed qui omnem doctrinæ suæ ostentationem vitandam esse duxit, neque aliorum inscitiam carpi, aut derideri facile patiebatur. Editum fuerat non ante multo Poema quoddam, *Columbus* inscriptum. Quidam eruditulus Mazzejum convenit, sibique pro derisiculo, ac delectamento facit Poema ipsum. Audit initio Mazzejus multa non sine stomacho, sed hominis deinceps sermonem abrumpit. *Haud tu decimam, credo*, inquit, *non si annos centum vixeris, ejus poematis partem feceris. Nuga-*

gari tibi videtur interdum? Non id suo Auctor, sed eo, quod ferebant illa tempora, vitio fecit. At se Poetam prabuit. At ingenium exercuit: Hoc vero, quod in maxima laude pono, non otiosum reliquit. Quo plane significavit, quantum eas obtrectationes abhorreret. Ejus etiam Poetæ, qui ex præclara Societate Jesu fuerat, vindicias suscepit, aliquam, nisi fallimur, ut Ordini referret gratiam, a quo primas, ut meminimus, didicerat facultates.

Fuit præterea singulari in omnibus patientia, atque constantia. Quondam cum a bono quidem, sed inerudito Viro, propter criticas, quas agitabat quæstiones, inscius, atque hæreticus vocaretur. *Primum, quod opponis*, ait, *non id quidem diffiteor: alterum nego plane. Verum si quid est, in quo erraverim, quod quidem mibi significatum velim, id emendabo.* Perpetua ejus occupatio studium fuit litterarum, in quo sic versabatur, ut vix somnum, aut cibum caperet, neque pransum, aut cœnatum se conferebat, nisi aut voce vocatus, aut quasi vi quadam abductus. Eadem utebantur Socii ejus diligentia, ut vestes pro anni tempestate, ut in hebdomadam indusia mutaret. Quod non fecisset sane. Adeo ipsum perpetua lectio, ac meditatio abripiebat. Mirum propterea non est, tanta eum eruditione fuisse præditum. Ad quam insuper natura memoriam ei tribuerat solidissimam. Eorum, quæ semel viderat, aut legerat, nunquam oblivifcebatur. Meminerat vero locum ipsum, paginæque, & lineæ numerum. Quod tum probavit in primis, cum misso ad Casanatensem Bibliothecam Baldassino, ut quendam Grævii locum exscriberet, postremam esse paginæ periodum dixit, & paginam ipsam significavit. Quare ipsum Gallius, ipsum Boncompagnus, aliique, viventem Bibliothecam dicere consueverant. Ea.

Eadem de caufsa nullum fcientiæ, nullum eruditionis genus fuit, quo non præftaret. Prifca omnia monumenta facile interpretabatur. Numifmata vix confpecta non explanabat modo, fed, quanti fierent ab Antiquariis, fignificabat. Tabulæ cujuslibet præftantiam agnofcebat, Pictorifque manum. Quid de poefi dicam, in qua fic valuit, ut ex tempore verfus funderet, non etrufce modo, fed latine in primis bonos? Atque his vehementer delectabatur. Hos, quanquam Juveni fuerant in deliciis, provecta ætate minimum coluit. Ad græca ejus carmina quod attinet, fuperius narratum eft. Quid dicam de oratoria facultate? Cum latina ejus oratio Clementi XI. perlecta effet, eumque Nofter non multo deinceps adiiffet, fic eum Pontifex eft allocutus. *Ciceronem ferunt a nemine imitabilem: Tu vero ejus lateri adhæres, Mazzei*; quo judicio nihil profecto eft gravius. Sed illud fatendum eft, malo fato accidiffe, ut Orationes ejus optimæ evanuerint. Nam quæ fuperfunt, & numero paucæ funt, & exiliter fcriptæ.

Sed juris præterea tam fuit peritus, ut aliquando graves caufas defenderit. Quo in genere pro eo, quem toties memoravimus, Sorano Duce graviffimam controverfiam tam feliciter agitavit, ut Galeotta Patronus Neapoli eximius, cum allegata in caufam jura legiffet, ad Boncompagnum fcripferit, neque fuam, neque alterius cujufquam requiri præterea diligentiam, quando Hominem apud fe haberet adeo in jure verfatum. Ita vero Mazzeji ftudium periculofæ litis conditionem mutavit, ut cum fe cafurum cauffa Dux pertimefceret, eandem, præter expectationem, fe viciffe gavifus fit.

Innumera funt, quæ ab eo funt fcripta; nulla enim

enim dies, nox ferme nulla præteriit, quin aliquid compingeret in adversaria. Ac noctu quidem prope lectulum servabat codicillos, in quibus, si quando vigilasset, multa vel in tenebris describebat. Sed manus extrema non accessit operibus ejus, & præclare inchoata multa, perfecta non plane, & ferme omnia, propter scriptionem pessimam, reliquit lectu quam difficillima.

Prodierunt eo vivo.

De Macerata Urbe in Piceno Elegia cum notis in 4.

Annotazioni a 5. de' Sonetti del Marchese Gio. Maria Baldinucci su i vizj capitali in 4.

Methodus Sacerdotalis circa Missam, & divinum Officium &c. in 8.

Volumina post mortem inventa sunt scriptorum ejus tredecim. Ex his quinque jussus est mittere Baldassinus Romam, & Concilii insuper Tridentini exemplar quoddam, Legatorum manu firmatum, Conciliique ejusdem historiam Paullo Sarpio auctore, quam brevibus quidem, sed optimis animadversionibus Mazzejus in margine castigaverat. Fuerunt autem

In Baronium, & Pagium animadversiones. Vol. unum.

In Ciceronis opera. Vol. duo.

Ad Sacros Ritus spectantia, & Bissi confutationes aliquot. Vol. unum.

Historica adnotationes, ac potissimum in Vitas Pontificum Romanorum adversus Platinam. Item de Benedictionibus, & usu Campanarum. Vol. unum.

Hæc, inquam, Romam ad Ordinis Nostri Præpositum data, MSS. omnia. Reliqua Maceratæ in Bibliotheca nostra reperiuntur.

Dum hæc scriberemus, Angelus Cortenovius in eo Collegio Rhetoricæ Professor, cum sciret in opera

Mazzeii a me diligentius inquiri, significavit per litteras, ea se reperisse, quorum seriem hic habes.

Annotationum eruditarum Volumina quatuor, litterarum ordine descripta in 4.

Similium adnotationum Volumina quatuor in fol. (1)

Apud Franciscum Pentolinum Ordinis nostri Virum Mazzeii studiosum extant, ut ipse quidem mihi per litteras humaniter significavit,

Præfatio in Logicam.

In Logicam Præfatio altera.

Nexus Eloquentiæ cum Philosophia Oratio.

De Physica Oratio.

De Calumnia brevis Oratio.

Panegirico di S. Lorenzo.

Ro-

---

(1) Sunt hujusmodi adnotationum plures in D. Hieronymum. Agitat Mazzejus eam quæstionem, an Hieronymus fuerit, & quo pacto, Ciceronianus. Ineft eas inter Dissertatio, sed ea non satis digesta, in Aniciam Familiam, ex qua Sanctam Demetriadem fuisse ferunt, ad quam Maximus ille Doctor litteras dedit, ut nemo ignorat. Alia insuper inabsoluta Tractatio, quæ tamen facile perfici posset, de Patria Magorum, qui ad Christum puerum sunt profecti. Insunt in Romanum Martyrologium, ac Breviarium animadversiones. Alia insuper ad variam eruditionem quam creberrima. Ad Jus Canonicum, ad sacros Ritus, ad moralem Theologiam spectantia, volumine uno continentur. Plurima ad etruscæ linguæ præstantiam, exemplis omnibus a Boccaccio, & Petrarca accersitis; plurima ad latini sermonis elegantiam ex Tullii operibus petita leguntur. Inscriptiones item veteres ex Grutero, & Fabretto, cum earum explanationibus, Elegiæ Auctoris nostri, ejusque Epigrammata; plura tamen neque absoluta, neque lectu facilia. Pulcherrima est in Elegiis, quam inscripsit *Tyburis Deliciæ*. Hæc me docuit Cortenovius, qui & illam, de qua mox diximus, Elegiam, & triginta Scriptoris nostri Epigrammata ex MSS. illis collegit, quorum nonnulla huc Bononiam misit ad Virum sibi amicissimum, & quondam Magistrum suum, qui mecum ea communicavit. Perierunt Mazzeii Lectiones in Sacram Scripturam, & *de Divina Incarnatione*

Romæ in Tabulario Præpositi Gen. servantur

Oratio habita in Capitulo Generali anno 1710. *a R. P. D. Jo. Andrea Mazzejo Præposito Collegii Maceratensis pro bona electione facienda*.

Oratio habita in Capitulo Generali anno 1717. *ab eodem R. P. D. Jo. Andrea Mazzejo*.

Sunt hæc, quæ retulimus, omnia MSS.

Ad historiam quod attinet, universa ferme deprompsimus ex Commentario quodam, quem Carolus ille Baldassinus, de quo fecimus ante mentionem, dedit ad nos humanissime. Quædam ex Actis Collegii Maceratensis: quædam insuper ex litteris, ac testificationibus nonnullorum, qui eo sospite usi sunt familiariter.

---

tione Tractatio, præter alia, de quibus ante fecimus mentionem. Baldassinus ad me scripsit, repertam ejus schedis fuisse *De salute Ciceronis Dissertationem*; sed hæc, quoniam ferme omnis scripta ab eo fuerat in tenebris, quod, ut diximus, solebat interdum facere, tanquam desperatæ lectionis, abjecta est.

(IV)

SIGISMUNDUS CALCUS

Sigismundus Calcus Mediolanensis, præter generosam Majorum famam, propinquitatem in primis nobilem sortitus est. Patre natus Senatore amplissimo (1), Germanos habuit fratres singulari virtute duos, quorum alter in Senatum & ipse Mediolanensem cooptatus, alter Lucensem Pontificatum adeptus est. Ipsi ingenium docile, come, aptum ad omnes artes, quibus est eruditus; multa præterea corporis dignitas, cum magnitudine quadam animi, & alacritate.

Ob hanc potissimum humana omnia negligenda esse duxit, seque in Congregationem nostram recepit adolescens [2]. Quam vivendi rationem cum solemni sacramento esset professus, in studiis versatus est, institutisque philosophicarum rerum, & divinarum, quas etiam Moderatorum auctoritate tradendas suscepit [3] cum ad virilem ætatem pervenisset.

Sed ejus virtutes constantia, ætateque ipsa in dies roborabantur, quibus singulare quoddam salutis animorum studium accessit, cujus caussa in Urbe frequentissima, etenim Mediolani versabatur, multa non deerant ad hanc voluntatem exercendam quam maxime apposita. Est in ea Urbe crebrum Adolescentibus Gymnasium, in quo nostrorum cura politiores litteræ, scien-

tiæ

(1) Anno 1685 die 21 Maii. [2] Anno 1703. [3] Mediolani in Colleg. D. Alexandri.

tiæque cum humanæ, tum divinæ traduntur. Calcus qui sciret quantum oporteat illam ætatem optimis imbui moribus, iisque assuescere, magnam in ea excolenda collocavit industriam. Etenim in omni sermone affabilem se illis præbebat, virtutemque tenellis mentibus adeo proponebat amabilem, ut nemo non eam complecteretur, seque totum ei traderet. Commemorabat sæpe mihi Aurelius Mandellus, Vir e nostra Congregatione nobilis in primis, atque alacer, qui hanc vivendi rationem Calco potissimum auctore susceperat, tantam in eo fuisse suadendi vim, ut animos in id ipsum nullo negotio pertraheret, quod ante vehementius aversabantur. Cujus studiosissimi Calchi Affeclæ, ante annos duodecim florenti ætate sublati, testimonium eo libentius posui, quod nunquam ex meo animo discedit optimi hujus, mihique amicissimi Viri memoria. Sed quanto hujusmodi instituendorum hominum studium se latius effuderit, non multo post apparebit.

Regebat eo temporis Mediolanense illud Collegium Paullus Cignanus, Vir dexteritate, ac virtute tanta, quantam separatim in rebus ab eo gestis infra significabimus. Hic cum multo ante, propter singularem modestiam, ab ea se præfectura abdicare studuisset, neque vero Moderatores nostri, qui scirent Cignano eam administrationem quam aptissime creditam, modestiæ ejus unquam obtemperassent; hujus demum voluntatis perficiendæ nactum se arbitratus est quam optimam occasionem, si Præposito Congregationis Sigismundum proponeret, cui ea cederet moderatio, eligendum. Qua in re cum sibi ipse, tum illius Collegii bono prospicere se plurimum intelligebat. Erat enim Calcus, quamvis florenti ævo, mode-

destus in primis, prudens, gravis, ad res gerendas habilis, invicto robore, animo maximo. Hæc Cignani tractatio plane cessit ad voluntatem. Quare Sigismundus Calcus annos natus XXXII (1), Cignano unum ante annum, quam apud nos consueverit, regimen deponente, Præpositus est renuntiatus.

Sed Calchi multo etiam brevior accidit præfectura. Interea enim cum Sinensis Legatio, de qua nonnulla deinceps narranda sunt, diligentius adornaretur, is qui paullo se latius effundere, hominumque Christianæ fidei expertium institutionem remotissimis in regionibus curare decreverat, Virorum Principum apud Clementem XI. P. M. interpositu, in eorum numerum delectus est, qui Legato in Sinas decreto itineris, rerumque socii adjungerentur. Hoc vero, quod ab ea moderatione suscepta sextum vix post mensem accidit, quamvis perdiu illius animum occupavisset, nihilo tamen in eo munere eundem aut segnem, aut hærentem fecit; imo tanta cum diligentia in res omnes incubuit, plane ut nemo videatur, quanquam perpetuus ei magistratus obtigisset, agere potuisse diligentius. Præ ceteris Adolescentum nostrorum animos in bonas artes, ac studia inflammabat, volebatque eos latina lingua uti in familiari sermone, quemadmodum in studiorum nostrorum regulis cautum est; quæ exercitatio perutilis, cum paullo esset dilapsa, ab eo est restituta. Præterea cum frons illius Templi, quod gradibus introeundum est, fuisset non multo ante exornata, inconcinnus vero, nec satis commodus in id venientium adscensus esset; is & lapideam gradationem, elegantemque dirigi, & metis egregiæ formæ

(1) Anno MDCCXVIII. x. Kal. Junias.

mæ circumdari fecit, subjectamque aream, lapideis lineis pulcre digestis, interceptisque silicibus, sterni amplo spatio, quod & foro elegantiam, ac dignitatem Templo plurimam conciliavit. Ad quam ædificationem cum gravi impendio opus esset, neque nostræ satis pecuniæ essent, is cum Deum ante oravisset, prodibat domo ferme quotidie, eosque adibat, quos in Urbe pecuniosos esse sciret, atque opem ab his postulabat, neque vacuus plerumque revertebatur. Et quamvis interdum exciperetur a nonnullis illiberaliter, minime commovebatur, neque prius a quæritando abstinuit, quam substructio omnis, ac stratura perficeretur. In quo homo ille, natu illustris, ac verecundus, an rem sacram, an suimet despectionem procuraverit magis, nemo facile judicabit.

Verum anno MDCCXIX. Carolo Ambrosio Mediobarbo in Sinas Legato abeunte, Calcus in idem Regnum non multo ante discessit. Eo anno in hunc ego Ordinem adscitus sum; cumque essem Januæ primum vix tirocinium ingressus, Calcum illic hospitantem dies aliquot vidisse me lætor: Virum, statu, incessu, vultu, oculis, ad omne decorum plane compositum, cui accumbenti sum etiam famulatus, ut ea est, ad contemnendum se se, Tironum nostrorum familiaris exercitatio. Hinc in Lusitaniam Octobri inclinato digressus, inde cum Alexandro de Alexandris, altero ex nostris Viro probatissimo, velificatus est. Navigatione autem admodum prospera usi sunt, nisi quod Africanum illud difficillimum promontorium transgressi, quod *bonæ spei* nuncupant (1), gravissima procella navis prope subsidit; a quo tamen periculo cum evasis-

(1) Anno MDCCXX. III Non. Junias.

fissent, Cantonum in Sinensi ora læti, atque incolumes tenuere (1). Legatus, qui hiemem Ulisippone transegerat, cum breviori quidem, sed longe difficiliori navigatione paullo post eorum adventum eo appulisset [2], seque Pechinum versus, ad Imperatorem adeundum, comitatu optimo experientissimoque instrueret, ceteris in eo Sinarum emporio relictis, paucos delegit, decrevitque in his Calcum Scribam, seu Cancellarium, ut ajunt, suum, quem sciret quanta esset fide, atque constantia.

Hic itaque cum Mediobarbo in Regiam illam Urbem advectus, omnibus plane interfuit, quæ ibidem sunt gesta. In quibus sæpe Legatum consilio juvit, erexitque ejus animum in gravissimis difficultatibus laborantem. Neque minus libere aperiebat quæ ipse sentiret, quæ si aliquando fuissent audita, & felicius fortasse, & pulcrius actum esset, quemadmodum nonnullis est visum. Sed de rebus hujusmodi, quæ ad eam Legationem magis, quam ad Calchi historiam pertinent, quæque ante annos aliquot, auctore nescio quo, typis sunt evulgatæ, nostri non est instituti hic loci scribere.

Reversus Cantonum Mediobarbus [3], quoniam in Europam sibi redeundum fuit, ceteris vero, qui illuc Christianæ rei caussa missi fuerant, in ea Urbe subsidendum, extra paucos, quos in aula manere jusserat Imperator; hic ne multi eo hospitio gravarentur, aut in eodem inutiles, otiosique manerent, in alia alios regna, provinciasque distribuit. Calco, cum Vicarii Apostolici facultate, Peguanum Regnum decre-
tum

[1] Die tertia Septembris. [2] Die 12 Octobris.
[3] Die 9 Maii 1721.

tum est, Avæ, ac simul Martabani Regna complectens, parum quidem cultum, ac dives; sed illud tamen, cujus Incolæ, neque prorsus illiberales, neque bardi, cum facile nostris artibus, ac doctrinis erudiri posse putantur, si Europęorum hominum haberent copiam, tum Christianam religionem, a qua minime abhorrent, si in eos Sacrorum Ministrorum industria conferretur, complexuri facile videbantur.

Calcus navigandi occasionem nactus quam primam potuit, adjuncto sibi comite Josepho Vittono sæculari, ut ajunt, Sacerdote, Cantono solvit (1), atque ad oram Coromandelli Pondicherium tenuit, Gallorum portum, hinc pedibus Madrastum Anglorum coloniam tridui inde dissitam venit, Siriamum denique Insulam, ac portum Peguani Regni navibus frequentissimum. Hic duro admodum rerum initio est usus (2). Etenim cum ejus adventus cuidam Sacerdoti, cujus Ordini, nationique parcimus, Madrasti innotuisset; hic vero confictis nominibus affirmaret creditam in iis Regionibus nemini, præter quam suis, quamcunque Christianæ fidei procurationem, non minis modo, & objurgationibus, sed divinorum interdictione, & *anathemate*, eidem restitit: qui cum nihilo secius ea fretus auctoritate, quam a Romani Pontificis Legato acceperat, in incepto persisteret, & in eam, de qua diximus, Insulam, neque multo post in Regnum ipsum penetrasset: Homo ille infensus, datis cum ad Christianos omnes, tum ad duos sui Ordinis homines factiosis litteris, & illos *excommunicationis* indicta pœna prohi-

(1) 3. Octobris præfati anni 1721. (2) Hinc & deinceps omnia ab epistola ejusdem Calchi ad Præpositum Ordinis nostri data die 20 Julii ann. 1722.

hibuit, ne quid opis, auxilii, consilii, rei quamvis ad tuendam vitam necessariæ Calco darent, ne eum alloqui auderent; his vero, Calco, si pergeret, id facerent imperavit, quod Gallis duobus fecisse noverant: videlicet, ut hunc in silvas, & invia loca seductum, feris pascendum linquerent, qua morte fuerant Galli duo eorundem fraude sublati. Sed Deus avertit id mali. Etenim cum litteræ in quorundam Armenorum manus venissent, fuissentque ab his reseratæ, Gallus quidam probatissimus, iisdem caute interceptis, monuit Calcum, ut caveret magis.

Quod porro quanta inhumanitate, injuriaque sit factum, is primum intelliget, qui animadverterit qua fultus potestate Calcus ingrederetur: deinde quam falso homines illi eam sibi provinciam vindicarent. Etenim neque expeditio ulla eo locorum fuerat legitimo jure ante decreta, neque duo illi, quanquam in eo Regno considentes, neque alius quisquam antea, seu delendæ Incolarum superstitioni, seu veræ Religioni promulgandæ dederat se se: nemo præterea linguam didicerat earum gentium, cujus necessario usu rem agere Christianam valeret, populumque imbueret mysteriorum nostrorum rudem. Illi vix sacra ministrabant Lusitanis Mercatoribus, Christianisque quibusdam, quorum etsi multi essent inibi, cum Lusitaniæ Rex Siriamo potiretur, attamen sequiori ævo pauci superavere. Quanquam ea sacrarum rerum administratio qua fieret religione ab hominibus, quorum esset animus tam crudelis? Ipsi viderint. Nos eorum imbecillitati parcentes, his missis, ad historiam redeamus.

Hæc tanta contumelia non fregit eum, sed erexit: & quamvis in summo rerum discrimine versaretur,

tur, nihilo tamen minus fidentior obnitebatur. Sciebat enim hoc maxime Apostolorum esse, ut per contumeliam, atque infamiam, per ærumnas, & pericula, per inopiam, & calamitatem, semen illud flentes effunderent, cujus aliquando exultantes, lætique essent manipulos collecturi. Quare calamitatem omnem divini instar doni habuit. Cujus animi testis est epistola, quam deinde ad Salvatorem Rasinum Sacerdotem nostrum ærumnis quibusdam conflictatum dedit (1), in qua, ejus erigendi caussa, id ipsum argumenti tractavit, quo se in iis difficultatibus usum, confirmatumque fuisse affirmabat: *Divinum esse munus hominibus, gravissimum quodlibet infortunium.*

Tamen non defuere qui optimi Viri partes tuerentur. Neque ipse minus eorum animum demerebatur, quorum efficiis niti se posse intelligeret. In his Galli quidam spectatissimi, quibuscum Pondicherii summam inierat familiaritatem [2], Armenusque Mercator prædives Regi ipsi acceptissimus, quorum commendatione effectum est, ut Calcum Rex ipse accerseret; quare Siriamo Avam versus, Urbem tum ejus Regni columen (3), laborioso dierum quinquaginta itinere cum Vittono contendit.

In aulam admissus, habitus est a Rege satis humaniter, a quo cum postulasset, sibi ut liceret patrio more vivere, & palam Christiana facere, non fuit ille morosior: Arbitratu suo faceret, se quidem minime detrectaturum, inquit; tantaque in eum beni-

 gni.

(1) Die prima Februarii Anno MDCCXXV. [2] Spectatissimus Vir Dominus *de Risdelor* Claudiopoli Episcopus, & præclarissimus Pondicherii Gubernator, de Calcho ibidem optime meriti. Acceptus item eo loci humanissime a Viris Religiosissimis, quos *Capucinos* dicimus. Simon nomine, Armenus ille, qui Calco semper patrocinatus. (3) die 21 Julii 1722.

gnitate est usus, quanta in barbaro Rege videretur non modo summa, sed incredibilis. At Adversarii illi, quod implacabile odium in Calcum susceperant, postquam difficultatibus eum opprimi non posse intellexerant, calumniis intercipere studuerunt. Horum alter, qui Avæ Civitate regia commorabatur, dedit operam clandestinis consiliis, ut Calcum in suspicionem Regi adduceret, tanquam ab Sinarum Imperatore eo missum, quo propius Regnum, Regnique administrationem exploraret: Sinenses vero, ejus opera, aliquid in Peguanos moliri, eosdemque, nisi Calcus ejiceretur, universo Regno potituros asseverabat. Hoc autem metu, quoniam Sinenses Peguanorum hostes habentur, arbitratus est nihil ad alienandum Regis animum conducibilius. Quod cum non frustra fecisset, idque Calcus comperiret, seque ab aula segregari videret; ab Armenis, quibuscum hospitabatur, quique eum semper amicissime complexi fuerant, impetravit, ut ab ea Regem suspicione abducerent. Etenim Armeni Negotiatores, quorum sita est in gemmis mercatura, erant in ea Urbe multi. Est autem gemmarum ferax id Regnum, in primis vero carbunculorum, qui omnium optimi censentur toto orbe: quare qui Regno utiles habebantur, erant & apud Regem gratiosi. Horum igitur studiis mirifice res successit. Rex non modo eadem, qua ante, voluntate in Calcum fuit, sed eum in fidem recepit suam. Domum præterea ut conderet, Fanum Christiano ritu dedicaret, Christiana ut mysteria doceret, ut faceret, dedit veniam: pecuniam contulit in Templi ædificationem. Cum vero de Religione nostra quædam audisset a Calco graviter, sapienterque tractata, paullo iis adjecisse animum videbatur; in quibus Romanum Pontificem caput, &

co-

columen universæ fidei, Deique ipsius in terris Vicarium cum accepisset, professus est, ineundæ cum eo consuetudinis studio teneri se se; imperavitque ut Vittonus Calchi Socius Romam peteret: hanc vero Supremo Patri voluntatem aperiret suam. Deditque abeunti saphiros, & carbunculos aliquot, quos ferret muneri, levem quidem, sed veram animi in eum sui testificationem. Huc tandem omnis calumnia desiit. Verum non odium posuit Calumniator, qui & Calcum deinceps insectatus est, aususque in ejus os involare, imo & in moribundum furere tam crudeliter, ut nihil supra: de quo & alio in loco dicturi sumus.

Calco igitur in ea rerum prosperitate multo animi magis incaluerunt. Novam propterea non post multo Templi ædificationem curavit (1), domumque posuit, structura, quæ in iis esset regionibus elegantissima. Ceterum ibidem ædificandi ratio ea est, ut stipitibus quatuor solidioribus telluri infixis anguli statuantur; quod interjacet spatii arundinibus intexitur, quæ quidem eo loci sunt & crassiores nostratibus, & solidiores: tota perticis quibusdam compingitur contignatio, atque arborum folia quædam oblonga, palmarum frondibus quamsimillima, universam contegunt ædificationem. Ad domos quod attinet, ita a solo stipitibus super eriguntur, ut in eas nisi mobilibus scalis aditus pateat. Id vero ferarum caussa; nam Elephantes ibidem, & Tigres, & aliud id genus belluarum frequens est admodum. Et quoniam de ædificandi ratione diximus, de Regionis illius, soli.

(1) Hujus descriptionem, ac formam condere aggressus est die 12 Martii anno 1723, ut ex ejus epistola ad Præpositum universæ Cong. data die 12 præfati Mensis, & anni.

lique natura, de gentium moribus, ac religione aliquid præterea dicere non est absonum.

Est itaque ea Asiæ plaga ampla satis, invia partim, & nemorosa, partim irrigua, & palustris; metallis præterea, & gemmis quibusdam dives, in quibus pyropi, ut diximus, antecellunt. Præter horum, de quibus memoratum est, præcipua inest in lignis ad naves ædificandas, atque ebore, ob crebros Elephantos, eorum hominum negotiatio: in oryzæ autem satione posita est, propter aquarum copiam, agricultura. Hinc nullus ferme præter oryzam cibus, præter frigidam potio nulla. Raræ Urbes, sed Incolis frequentissimæ, nullis operibus, aut munitionibus septæ, nisi foveis amplissimis, in quibus crocodili ingentes aluntur, quæque sublicio ponte transmittuntur tempore non suspicioso. Ingruente metu, his deturbatis, universum in crocodilis, quorum feritati nemo facile obiicitur, situm est munimentum. Homines neque feri, neque indociles, rudes quidem, & artibus impoliti; advenis tamen non infensi, religionisque studiosi, si ea religio dici potest, quam profitentur, prorsus ridicula superstitio. Etenim Numen quoddam summum confingunt, filiosque ejus duos. Orta hos inter pugna, major natu minorem sustulit cruce: hunc vero Deum autumant nobis esse, quem sciunt profiteri nos cruci confixum. Inventum improbum, dignumque eorum inscitia, & feritate. Inhærent præterea Pythagoricæ illi animarum transmigrationi, nulloque ob id pecudum, aliorumve animantium corpore, cibi loco, vescuntur. Ceterum Fana habent crebra Diis suis dicata, *Pagodas* vocant, omneque Sacerdotum cujuslibet sectæ genus observant; nostros æque, fortasse etiam magis. Sermone utun-

tur duplici, quorum alterum *Bracmanum* appellant, alterum Peguanum. Sed hic vulgarium est hominum: ille aulicus, & forensis, quo cum Bracmanes utantur, Viri apud eos sapientissimi, horum nomen in linguam ipsam traductum est. Sed est hominum istiusmodi tenuis admodum, aut nulla sapientia. Quorum inscitiæ multa afferri possent argumenta. Sed illud instar omnium est, quod cum anno MDCCXLIV cometes ille apparuisset, qui nobis, illisque conspicuus fuit, tam absurda, de eo interrogati, tam insulsa dixerunt, ut nemo nostrorum, qui rebus intererant, non rideret stoliditatem hominum in iis gentibus clarissimorum. Verum de his haud plura. Ad Calcum, unde digressi sumus, est revertendum.

Is cum fore sibi præsidium primum intelligeret, ad fidei Christianæ promulgationem, ita cum hominibus uti, ut ultro citroque dari verba, reddique possent, omne tempus litteris, sermonique dedit earum gentium; quibus adeo eruditus est, ut apud eos tam commode verba faceret, quam qui in Peguvio erant nati. Quod illi difficile admodum fuit, ac laboriosum, præsertim nullo librorum auxilio utenti; qui quidem nulli extant in tanta illorum hominum inscitia, ad id comparati. Verum ipse & Lexicon quoddam composuit, & regulas quasdam in ejus addiscendæ linguæ opportunitatem, quibus Nostri, si qui successissent, illam faciliori negotio discerent, quam tanta ipse difficultate fuerat consecutus. Sed hæc interiere omnia ab ejus obitu, cui nemo nostrum interfuit. Quare & ceteris non dissimili fuit labore utendum, qui eo deinceps sunt missi.

Sic itaque comparatus ea regna peragravit, neque paucos mira felicitate instituit, & sacro fonte expiavit.

vit. In his præter veram religionem, mores constituere nitebatur, vere Christianos. Verum dolebat, Christianorum quorundam veterum exemplo recentes vitiari (1); quare non tam in novorum institutione, quam in priscorum reformatione insudabat. Sed unus tantis rebus impar cum esset, ad Ordinis nostri Præpositum plenas sollicitudinis dedit litteras (2), rogavitque ut alii eo Sacerdotes mitterentur: Cessisse omnia feliciter: res in dies multo quam ante meliori loco futuras: non fore advenientibus, quemadmodum sibi, tam dure auspicandum: ceterum inesse hominibus multam docilitatem, neque eos præjudicio aliquo firmissime teneri, quominus in nostra fide erudirentur: Optimos mitteret, castissimos, mansuetos; atque alia id genus multa scripsit, in quibus strenuitas, & constantia ejus elucet, quæ semper in eo maxime viguerunt. Cui postulationi factum deinde est satis; quanquam eorum, qui demigrarunt in ea Regna, nemo illuc advenit eo vivo.

Ceterum ipse intolerabili labore huc, atque illuc ad loca quam longissime dissita transiliebat, nudis pedibus, capite vix tecto, aperto sæpe, atra xylina indutus, ejusdem, qua nos utimur, formæ. Qua de caussa & caput ardentissimo sole, & pedes arenis ferventibus urebantur. Quandoque per consita oryzis loca, paludesque ingrediebatur dies multos lutulentus, ac madens totus. Hunc laborem herbarum cibo, turbidæque interdum aquæ haustu levabat. Si quid suillæ carnis, eo præsertim regionum insaluberrimæ, aliquando suppeteret, habebat id loco deliciarum. Noctem

(1) Epistola ad Salvatorem Rasinum, de qua superius. (2) die 15 Maii ann. 1723.

ctem vero in silvis transigebat sub dio, eumque aut infestissimi culices sauciabant, aut feræ absterrebant: Labori, inediæque summam adjecit paupertatem: propterea ut vix ei quidquam esset præter paucos libros. Ne lintea quidem habuit, quibus super decumberet extremo in morbo, hæc enim habuit commodata...

Tantam rerum inopiam perpetua in egenos largitas & gignebat plerumque, & augebat. Nam, præter domesticum discipulum, tres dietim alebat familias, neque ulli, quamvis ethnico, roganti stipem negabat. Tres item familias, soluto Dominis pretio, emancipavit, eo potissimum, quod essent in iis Virgines duæ forma elegantiori, quarum mulierosi Domini facile vitiassent integritatem. Propterea enim quidam Peguanorum puellas emunt, libidini ut indulgeant impudentius. Sed Calcus, qui castimoniam semper religiosissime excoluit, eam vel in ceteris tueri sedulo nitebatur. Quare non eas modo Virgines ab impudicis subduxit, verum omnia, quæ illam utcunque spectarent improbitatem, acerrime insectabatur. Quapropter nemo ausus est eo præsente, non re modo, se ne verbo quidem, ullam obscenitatem. Solebat enim, si quis minus castigate loqueretur, eundem a ceteris remotum suavissime commonere, quo cavebant omnes in dies magis. Unus fuit, in omnibus, Armenus Sacerdos schismaticus, qui nihilo a verborum turpitudine, vitæque licentia secius abstinuit. Sed eum Calcus corripuit aliquanto acrius, nullam veritus ceterorum id generis hominum indignationem, quamquam ipse maximam Armenis habere se gratiam verbo, scriptisque [1] profitebatur. Res

 adeo

(1) Epistola ad Præpositum Generalem, de qua superius.

adeo valuit, ut impudens homo, quamvis perfrictæ frontis, os ejus non ferret, & paullo a libidine temperaret. Quo studio castimoniæ in Christianis custodiendæ eo magis incendebatur, quod Incolæ ejus Regni, lumbis, pubeque tenus succincti, cetera incedunt plane nudi; neque vero facile est eos a patria hujusmodi licentia semovere, neque eorum opes, etiamsi vellent, vestiendi ritum ferre possent, in tanta præsertim utilium artium ignoratione.

Hæc inter Calcus labore perpetuo, cœlique ejus gravitate, affectus est valetudine mirum in modum, quare non modo minus belle habuit, quam sæpe, sed anno præsertim MDCCXXVII nihil fuit propius, quam ut periret. Quo in discrimine ter est versatus, eamque pertulit contumeliam, quæ illius animum non labefactavit quidem, sed maxime omnium perculit. Etenim cum divina administrari sibi cuperet; isque unus Catholicorum adesset Sacerdos ille perpetuum sibi infensus, hunc vero orasset ipse, & obsecrasset, repulsam accepit durissimam, neque ulla ratione adduci potuit homo ferus, ut minus fureret, quanta inhumanitate, imo crudelitate, nemo non videt. Calcus in hac injuria minime fractus, suum in Deo Optimo Maximo perfugium collocavit, precatusque est, ut ne morienti sibi deessent sacra. Cujus voti compos non multo post factus est. Etenim eo venit Georgius Rossettus Romanus Sacerdos, qui laboranti, & manus ad cęlum tollenti divina administravit omnia. In his non animi modo, verum etiam corporis salus visa est fuisse locata. Nam aliquanto convaluit, quamvis effetis viribus. Sed non fuit valetudo diuturna. Siquidem cum ei otioso esse, morbo omni quamvis graviori, longe esset gravius, eam

eam demum a labore noxam accepit, quæ fuit irreparabilis. Quare conflictatus est menses tres lento morbo. In summa autem rerum inopia, quanto accidit morbus durior, tanto ipse firmiori animo fuit. Etenim quamvis ei nihil ex arte adhiberetur, nihil ad eum levandum obsonii esset; jus nisi suillum, coctaque oryza; frigida, summum, herbis quibusdam infecta præberetur; non frangebatur tamen, tantaque constantia eam ferebat calamitatem, ut ei plane suavis esset, & perjucunda. Imo cum instare jam mortem nosset, de ea tanquam de re faustissima, sibique optatissima loquebatur; propterea ut ad divinum illud animorum concilium, cętumque beatissimum proficisci cuperet in dies magis.

Cum igitur morbo gravissime angeretur, eumque, ut solebat, Rossettus pridie Nonas Martii convenisset, Calcus ab eo quæsivit, quemadmodum se haberet, simulque petiit, si forte majori esset periculo, ut sibi fateretur. Rossettus non tacuit, professusque est se credere eum ipsa die moriturum. Ille totus ad jucunditatem compositus: Ego quidem, inquit, mortem minime timeo. Mihi enim spes injecta est multo quam ante certissima æternæ vitæ adipiscendæ. Videndam se mihi, superiori nocte, præbuit Virgo Deipara, Sponsusque ejus, multusque Cęlitum comitatus, qui me conspectu illo beatissimo mirifice erexerunt, videorque jam mihi illa frui perpetua jucunditate. His dictis, culparum confessione omnem animi labem abstersit, tum Sanctum Christi Corporis Viaticum religiosissime sumpsit, neque multo post sacro Oleo inunctus, integris probe sensibus, menteque hilari, vivere desiit, ea, quam memoravimus, die, anno MDCCXXVIII annos ipse natus XLIII.

Cadaver ejus, ſacris indutum, in Templum, quod ipſe ædificaverat, elatum eſt, magno fletu omnium Chriſtianorum, pauperibus præſertim jacturam tanti Viri deplorantibus, in quo omnis eorum ſalus, ac vita fuiſſet poſita. Sacris ab eo, quem memoravimus, Roſſetto rite abſolutis, idem, qui tanta in morientem pietate fuit, pari in demortuum eſt uſus. Etenim cum ab Aulicis poſtulaviſſet, ſibi ut cadaver ſacram ſubtus ædem infodere more noſtro liceret; neque ab ipſis, propterea quod cadavera mortuorum cremantur Peguano ritu, locum ſepulturæ intra Urbem ut darent, impetrare potuiſſet; illud, arcæ ligneæ incluſum, in campum quendam Armenorum tranſtulit, atque in eo tumulavit, infixo ſuper tellure Crucis ſigno, ad loci religionem ſignificandam. Ea pars campi circumſepta eſt ligneis repagulis, metiſque definientibus jus ſacrum, & in fronte, & in agrum.

Fuit Calcus ſtatura mediocri, colore vivido, capillo ſubrubro, elata fronte, oculis plerumque dejectis, toto corpore ad omnem modeſtiam compoſito: ſolidis viribus, valentique natura, quam nihil, præter immanem laborem, frangeret. Animo fuit grandi, & interrito. Nihil ei arduum videbatur, metuendum nihil, fortis in omnibus, & animoſus. Fretus vero non tam ſuis viribus, quam Dei omnipotentis auxilio, maxima cum alacritate in omnibus progrediebatur; quare & plura concupivit, quam efficere potuit, neque tamen ea non optima, & probanda fuerunt; quibus ſi vita, & opes defuerunt, volente Deo; animus, & voluntas ejus certe non defuit. Quare Calcus & beata, quod plane confidimus, apud Superos immortalitate potitur, & memoria vivet apud homines ſempiterna.

Quæ

Quæcunque ſcripſimus, ab Actis Collegiorum, ab Calchi ipſius, aliorumque in Sinas cum eo profectorum litteris, deſumpta ſunt. Item ab Narratione Georgii Roſſetti [1] Protonotarii, ut ajunt, Apoſtolici, de quo meminimus, olim in Peguanum Regnum profecti, quam ipſe redux a ſe conſcriptam Gabrieli Mariæ de Valenzuela Congregationis Noſtræ Sacerdoti, tum *Miſſionum* noſtrarum Procuratori, dedit Romæ; aliorumque teſtimonio, qui res diligentius exploraverunt.

Mediolani in Collegio S. Alexandri monumentum ejus depictum eſt in tabula non ignobili. Ipſe Chriſtianam religionem Peguanos docens, crucemque circumferens repræſentatur: procul Chriſtianæ ædis ab eo conditæ viſitur ædificatio, in qua ſi Pictor Peguanam magis, quam noſtratem ædificandi rationem fuiſſet imitatus, nihil iconi ineſſet non plane congruentiſſimum. Sed eſt aliquid Pictoribus concedendum. In ea Icone hujuſmodi Inſcriptio legitur.

Sigiſmundus Maria Calcus hujus Collegii Præpoſitus, in Sinas profectus, dein primus Romani Pontificis juſſu in Peguanum Regnum Fidei cauſſa translatus: veſtitu Ordinis ibidem retento, peragrata nudis pedibus regione, Regio favore conciliato, Religione diſſeminata, conſtructo Chriſtianis ritibus Fano, ſummis laboribus devoratis, magna cæleſtium donorum, & ſanctitatis opinione memorandus, Avæ diem clauſit, Prid. Nonas Martias Anno MDCCXXVIII, ætatis XLIII.

RAY.

(1) Extat Mediolani in MSS. Collegii S. Alexandri.

(V)

RAYMUNDUS RECROSIUS

RAymundus Recrosius Vercellis natus (1) litteras Adolescens ab Societatis Jesu Institutoribus, pietatemque didicit. Erat vel tum Beatiss. Virginis studiosus, virtutis amans, rerumque humanarum negligens. Quocirca annum agens sextum & decimum in Congregationem nostram cooptatus est (2), Deoque perpetuum devovit se se, in qua (3) & studia scientiarum excoluit, quibus erudiri, aptarique solent, qui nostro se Ordini dediderunt (4). Narrabat Ludovicus Mazenta Vir gravis, qui cum eo in condiscipulatu Mediolani vixerat, sic semper Recrosium fuisse usum, ut doctrina par æqualibus esset, religione vero ceteros antecelleret.

Hinc Annecium missus est, Urbem Allobrogum, in qua, regia Sabaudiæ Principum liberalitate, nitente in id potissimum, cum in humanis ageret, D. Francisco Salesio, Collegium habent nostri ornatissimum. Hic cum fuisset divinis scientiis imbutus, Philosophiam tradere jussus est, postmodum Theologiam, quo in magisterio multos annos versatus est. Erat enim

fa.

(1) Anno MDCLVII Kal. Octobris. Patre Joanne Baptista, Matre Antonia Mondina: die postera *baptizatus* in Fano, quod S. Mariæ Majoris ibidem nuncupant, vocatusque Philippus Antonius Lucas. (2) Congregationem ingressus est die XXVIII Novemb. MDCLXXIII. Habitum solemni ritu induit XXVIII Januar. anno MDCLXXIV. [3] Pridie Kal. Februarias ann. MDCLXXV. (4) Mediolani in Collegio S. Alexandri Rhetoricam, ac Philosophiam didicit, Annecii Theologiam, quo fuit missus anno 1680.

facilis in primis, perspicuus, solers, jungebatque scientiarum traditionem cum sedula Institutione animorum. Nullam enim diem prætermittebat sine aliqua ad pietatem suavissima cohortatione. Quo fiebat, ut Auditores ejus numero multi præ ceteris elucerent cum optimis moribus, tum neglectu caducarum rerum, a quibus nonnulli in annos ferme singulos abdicabant se se, religiosamque vivendi institutionem aliquam capessebant. Ex iis sunt quidam in Ordinem nostrum adsciti, quorum nonnulli supersunt, & verbis, & re ipsa testificantes Recrosii præclarissimum Magisterium.

Sed quamvis in Institutione Adolescentum excelleret, non in iis tantum explendescebat. Nullum fuit hominum genus, qui non Recrosium sibi ducem, Magistrumque decerneret, quo ad pietatem informaretur. Est Annecii piorum hominum cœtus, quem S. Crucis vocitant, a D. Francisco Salesio institutus. Hi singulis diebus festis in unum locum conveniunt, in quo & Dei verbum excipere, & Sacramentis sanctissimis uti, piisque exerceri operibus consueverunt. Hujusmodi cętus Recrosium sibi moderatorem enixe admodum postulavit. Is, qui morem gerere facillimum omnibus assueverat, non id officii detrectavit, quod in animorum cultura videret positum. Itaque se conferebat ad constitutum locum, excipiebatque eos, qui peccata confiteri vellent; tum e subsellio dicebat ad horæ dimidium, Sacrum deinde faciebat, sanctumque panem appetentibus distribuebat.

Tanta autem inerat Recrosio conjuncta comitati gratia, tanta dignitas singulari quadam benignitate lenita, ut brevi omnes animorum suorum consilia eidem aperirent, nihil non ab eo probatum facerent, nihil non ejus consilio susciperent. Ipse aderat omni-

nibus, fovebat omnium optimas voluntates. Dissidia, si quæ orirentur, nullo negotio componebat, nemini ægrotanti, valenti, agenti animam umquam defuit; quo fiebat, ut quemadmodum bona, atque optima Civium pars in eam sodalitatem coalescit, sic universa propemodum Civitas Recrosii magisterio ad pietatem erudiretur. Viget vel nunc ibidem fama ejus illustris, feruntque, eos, qui Recrosio institutore usi fuerant, (adeo eorum solida est pietas) vel nunc præ ceteris enitere. Hanc hominum sodalitatem annos moderatus est decem.

Hæc omnia cum scientiarum, quas profitebatur, studiis Recrosius nullo istorum detrimento composuit, & alia insuper, neque ea levia, neque pauca. Etenim cum factum esset, ut ab ejus Annecium adventu brevi admodum illustraretur, summus ille Vir Joannes Aranthonius de Ales Gebennensis Episcopus Recrosii opera sic uti cœpit, ut multa illius solertiæ, atque industriæ commendaret. Quod & Michael Gabriel *de Bernex*, qui Aranthonium vita functum excepit, instituit facere. Eo autem in primis usi sunt semper humanissime, ac familiarissime, tantique ejus prudentiam, probitatemque fecerunt, ut eum non in dubiis modo rebus consulerent, sed præterea quamcumque solent Episcopi potestatem iis Viris impertiri, quos sibi Vicarios deligunt, eandem omnem Recrosio fecissent. Diœcesim præterea lustrabant eo socio, & adjutore; ejusque potissimum institutioni celeberrimum illud sacrarum Virginum Collegium, quod *a Visitatione* nuncupant, a D. Francisco Salesio conditum, quam sæpissime commendabant. Congruebat autem mirifice Recrosii suavitas cum illarum Virginum moribus, & lenitate.

Ete-

Etenim e scriptis, & axiomatibus sanctissimi earum Parentis, quæ apprime didicerat, quemdam quasi spiritum hauserat, cui & mores conformabat ipse suos, & ad quem cæterorum animos fingere, & figurare perpetuum nitebatur. Quare non est dictu facile, quam illæ ministerio hujus Viri delectarentur. Nihil erat eis antiquius, quam Recrosio animorum arcana, & latibula omnia patefacere. Dubiis de rebus interrogatus, breviter, perspicueque sic respondebat, ut omnium animos expleret accurata ejus responsio. Quod quam difficile in ejusmodi sit fœminis nemo non videt. Rogatus interdum, in earum concione ut verba faceret, sic eas alloquebatur, ut cum delectatione quasi aculeos quosdam in earum mentibus relinqueret cum esset auditus. Adeo excitabantur earum animi, & ad optima incendebantur. Quod cum alias semper, tum maxime cum quotannis sacra illa, dies decem, ad meditandum argumenta proponeret, quæ *spirituales* vocant *exercitationes*, ex quibus mirifice earum Virginum animi excolebantur, ad complectendam virtutem adjectis propemodum calcaribus incitabantur. Etenim hæc erat ei familiaris admodum cohortatio: Servarent ut ipsæ constantiam, se ipsas odissent, virtutem, despectumque sui omni studio complecterentur. Nihil vero arbitrarentur leve, vel negligendum. Quibus sic adhærescebant, ut nihil in quotidiana consuetudine admitterent lectissimæ illæ Virgines, quod & earum institutis non consentiret, & exercendis earum animis non conduceret vel in primis. Dederunt ipsæ in hoc testimonium luculentissimum, a quo referendo, ne sim nimius, abstineo.

Sed jam Annecii cum duodeviginti annos versatus

esset Recrosius, jussus est [1] Tononum non longe dissitam Urbem migrare. Hujus discessionis nuncius Annecìensibus accidit quamgravissimus. Accipio a cordatis Viris, ita multos indoluisse, ut eam non modo jacturam deflerent, sed crimini sibimetipsis verterent. Arbitrabantur enim ita rependi divinitus, quod Viri cęlitus dati monitis, & institutionibus non satis obtemperassent. Tononi igitur aliud munus iniit, etsi non aliam vitæ rationem. In eo nostrorum Collegio in antiquo more est positum, ut delecti tres, quatuor ex iis Viri in proximos pagos, in Oppida, & Villas quotannis se transferant, at ex altero in alterum locum quinque, sex, plures interdum continentes Menses demigrando traducant: singulis vero in locis Mensem unum circiter, duos quandoque maneant; in quibus, certo ordine, ac partibus distributis, divina ad meditandum exponunt, concionem ad populum crebro habent, Sacramenta administrant, dissidia componunt, extinguunt hæresum semina ob finitimas heterodoxorum regiones erumpentia, vitia, perversasque consuetudines, si quæ vigeant, convellere enituntur. In his delectus fuit Recrosius, imo & in ceteris, quamvis & munere careret, & nomine, princeps habitus. Princeps, inquam; quod rerum, quas retulimus, eidem præcipuæ partes essent attributæ, non quod ullam ceterorum haberet moderationem. Sic enim nostri in iis pagis tum versabantur, ut cum in dies suo quisque muneri satisfecisset, reliquum, quod supererat, arbitratu suo transigeret, nihilque decretum esset, quod omnes communiter exequerentur. In quo etsi nihil non optimum fiebat, Recrosio tamen res

[1] Anno MDCCI.

res videbatur aliter esse constituenda. Hac igitur cum Ordinis Moderatoribus collata, etsi primum ejus animadversio certis de caussis non probaretur, deinde tamen sancitum est, quod Recrosius decerneret, id in morem esse inducendum. Ipse, nihil tale opinans, delectus est, cui ceteri in hujusmodi peregrinationibus obtemperarent. Igitur sic diurnam, nocturnamque digessit occupationem. Mane omnes uno in loco divina meditatum convenirent, horarum diurnarum psalmos recitarent, libelli de Christi imitatione capitulum unum legeretur, tum ad sua quisque munia prodiret. Vesperi, cum cęnatum esset, quinque salutationum decades Beatiss. Virgini dicerentur, tum quisque præteritæ diei actus suos recoleret, discuteretque conscientiam. Demum cum quodam ex libro id lectum esset, quod in crastinum omnes meditarentur, quieti locus concedebatur. Hæc ipse numquam prætermisit, imo & ceteros antevertit.

Aliquem verò in locum cum ventum esset, quod in hospitio vidisset optimum, id Sociis impertiebatur, sibi ipse deterius cubiculum, duriorem lectulum deligebat; exedram sibi in Templo ad Confessiones audiendas, aut loco inopportunam, aut positu incommodam reservabat. Si quid obsonii melioris apponeretur, vicino proximo dabat; vix ipse quidquam sumebat cibi. Somno præ ceteris evigilans, eidem post omnes indulgens; semper laboriosus, numquam defatigatus. Verum, qua vitæ austeritate fuerit, deinceps dicendum est.

Hic tamen locus est, ut commemorem, quo ordine in iis peregrinationibus incolumitati animorum, utilitatique studeret. Quarta post dimidiam noctem hora cum in Templum venisset, confitentium pecca-

ta humanissime audiebat. In hoc munere diem sæpe integram insumpsit. Quatuor in singulas hebdomadas, quinque interdum habebat ad populum conciones. Vesperi conciliandis dissidentium animis dabat operam, quos quidem lenitate illa, quæ in eo semper maxime floruit, nullo negotio emolliebat. Sæpe quod furto sublatum fuerat sibi caute commissum, legitimis Dominis restituebat; in quo quantam ad suspiciones arcendas prudentiam, sagacitatemque adhiberet, nemo facile existimabit. Hæc vero incredibili erant Incolis emolumento. Mores enim emendabantur in dies, & pietas, & religio efflorebat: sacrorum nitor, & cultus mirifice augebantur. Illud est memorandum, quam multis in locis nova Templa Recrosio auctore excitata sint, pulcra, & supra loci dignitatem splendida, atque præstantia. Ipse universam ædificii descriptionem præbebat. Quod enim temporis vacuum supererat, quamvis id plerumque scriptioni daret, interdum tamen hujusmodi delineationibus devovebat. Sed libros succisivis iis horis composuit duos, quos gallica lingua edidit; *Catechismum* nempe, & *sensus* [sic enim inscripsit] *Compunctionis*, & alia præterea multa, quæ in MSS. supersunt, exercendis, instituendisque animis accommodata. Prolixa præterea oratione utebatur; &, quod Paullus ipse in more habuit, propriis vel manibus laborabat: de quo plura sum alibi narraturus. Hæc erat ejus vitæ exercitatio, in qua autumnum, hiememque insumebat. Etenim quod anni est reliquum earum Regionum Incolæ sic tradunt agriculturæ, ut curandæ eorum saluti vix opportuna habeantur cetera anni tempora.

Sed appetente vere, quo tempore nostri Ordinis Viri e Pagis in Urbem se recipiunt, paullumque con-

conquiescunt, numquam Recrosius conquievit. Etenim huc, atque illuc evocatus, in finitimis aut Pagis, aut Urbibus solemnis jejunii tempore divini verbi ministerium exercebat (1). Jejunabat ipse accuratissime; Illos excipiebat, qui suorum se criminum accusare vellent, ægrotantes adibat, supremum agentes spiritum fovebat, cum ad eos evocaretur. Quam quidem ejus temporis transigendi rationem initio susceptam, nullo unquam incommodo, nulla vel maxima occupatione immutavit. Annum pariter reliquum peregrinabatur. Nam sibi eum comitem adjungebant Gebbennenses Antistites, de quibus supra mentionem fecimus, neque minus Augustoprætoriensis Episcopus montosas illas regiones bis eo Socio lustravit. Eorundem Antistitum rogatu sæpius ad Sacrarum Virginum Collegia huc illuc progrediebatur, tantaque erat fama, ut eundem omnium ordinum homines *Apostolum* plane suum dicerent, summique Viri & suspicerent, & mirarentur, & incredibili quadam benevolentia, propter tantam morum ejus charitatem, suavitatemque, quasi divinum munus aliquod complecterentur. Verum non ei humani generis hostis insidiari destitit. Unum in ceteris periculum ejus proferam, in quo cum Dæmonis versutia, tum opis divinæ præsentia mirum in modum enituit.

Vocatus enim ut adesset cuidam feminæ in lectulo decumbenti, solusque in ejus cubiculo relictus, quippe se peccata fateri velle sua dixerat, quæ tamen longe alio spectabat, atque ante videri voluisset; intuitus extemplo est Viros adesse Ordinis nostri duos, pro-

(1) Id egit Annecii, Seffelii, Bonnopoli, Rumilii, Fano S. Joannis, Augustæ Prætoriæ, aliisque in locis multis Vivariensis ditionis, & Lugdunensis.

probitate celebres, ac vita non multo ante defunctos. Hi vero: *Apage hinc, apage*, cum jussissent, eidem in tam inopinato discrimine paventi primum, ac mire perculso eos animos addiderunt, ut se ab insidiis præcipitem in fugam dederit, & in Collegium tremens injecerit. Sic ei cælitus consultum: mandatumque ut fugeret. Scilicet in iis conflictationibus fuga æque fit atque pugna; certaque in pedibus sita est, dubia in certamine plerumque victoria. Sane hoc narrabat interdum ipse, affirmabatque eorum Virorum species tam sibi fuisse perspicuas, quam meridiana in luce eos cerneret, quibus cum loquebatur. Neque vero credibile est aut eum somniasse tum, aut deinceps somnia venditasse. Huic rei, quæ triplici mihi scripto tradita est, non censui fidem esse abrogandam. Sed ad alia proficiscamur.

In hac, quam narravimus, vitæ ratione cum Tononi, inque locis finitimis annum transegisset quartum ac decimum, Moderatorum voluntate is visus est, cui Bonnopolensis Collegii regimen opportune admodum traderetur. Paullo tamen post hujusmodi munus initum, Recrosius, qui parendi magis, quam ceteros moderandi studio eam susceperat præfecturam, cum opus quoddam in lucem edere meditaretur, de quo mox erit dicendum, illud deposuit, jussusque reverti Italiam, Vercellas annos post quatuor & triginta, quam in Sabaudiam demigraverat, summa Civium suorum voluptate reversus est (1). Neque eo minus veteri instituto vitæ abstinuit. Quamvis enim Theologicas eas lucubrationes expoliret, quas *Fœdus divini amoris, & timoris* in-

(1) Anno 1714.

inscripserat, propediem per typographos evulgandas; omnem tamen dabat operam curationi, atque institutioni animorum.

Illud in primis memorandum, quod eo potissimum Auctore constitutum est ad eam Urbem domicilium, quo qui res æternas paullo accuratius meditari vellent, se abderent ad octavam diem, aut decimam. Cum enim Recrosius paucos post menses, quam illuc venerat, sacrarum, quas vocant, exercitationum peragendarum multis fuisset auctor, eas vero non sine maxima universæ Urbis frequentia domestico in templo obeundas perhibuisset, omnium animos ita commovit, ut nemo esset ferme, qui in illa supernarum rerum contemplatione non cuperet quam diligentissime immorari. Erat in fundo Collegii ejus Domus quædam pervetus, ab Urbe quingentos vix passus dissita. Hæc ob vicinitatem, amplitudinemque non contemnendam, ei visa est instituto congruens vel in primis. Sed eam refici, aptarique, & instrui omnino oportebat. Christophorus Visanus Vercellensis Præpositus, cum Recrosii suasionibus, & multorum voluntati cuperet satisfacere, domesticæ pecuniæ summam contulit, induxitque in animum quorundam Civium, ut impendii partem ipsi susciperent. Neque frustra. In his enim excelluerunt Franciscus Folianus, Carolusque Ferrarius, quorum liberalitate ferme omnia comparata sunt, & anno postero Kal. Maii Recessus ille sacer est reseratus. Hoc mense hominum turmę quatuor eodem per vices se receperunt. Aliæ deinceps certis temporibus. Hic fuit Recrosio quidam domesticus ludus, ac palæstra ad crebras admodum decursiones. Etenim quoad Vercellis commoratus est, eo secedentibus quibusdam, quod crebro usuveniebat,

bat, perpetuum adfuit, rerumque ordinem eſt moderatus.

Verum & in finitimas, remotaſque Regiones propter hoc ipſum ſæpius evocabatur. Videbatur enim ad id muneris non factus modo, ſed natus, tanta inerat ei gratia, tanta facilitas, dicendique lenitas. Illud eſt memorandum, neminem fuiſſe hominum cujuſque officii, cui non Recroſius in eo genere probaretur ut cum maxime. Eum ſibi ſacrorum Adminiſtri, Sacerdotes, Templorumque Proceres, in unum contubernium adſciti, ducem in illa divinarum rerum meditandarum ſerie crebro admodum eligebant. Eumdem ſacræ Virgines cum impetraſſent, munus arbitrabantur ſibi præclariſſimum obtigiſſe. Mediolani autem apud nobiliores fœminas ſic obtinuerat, ut quo vocatus primum fuerat anno MDCCXXII, eodem ſex continentes annos, enixa earundem poſtulatione, ſit revocatus. Quarum nonnullas ſic informavit, ut vel in præſens religioſiſſimæ habeantur.

Neque Vercellis modo, ſed alibi curabat ut accommodatæ ad eum receptum domus decernerentur. Factumque eſt ut ejus ſollicitudine Burgo Manerio, quod Novarienſis agri illuſtre eſt oppidum, quamoptimus ad id locus ſit comparatus. In quo & Novarienſis arcis Præfecti, ſtrenui in primis, religioſique Viri, pietas, & liberalitas emicuerunt.

Hæc tamen, quamvis & frequens admodum, & graviſſima, non ei aut una, aut princeps exercitatio extitit. Nam & conciones conſtitutis de more temporibus habebat ad populum, quandoque ad ſacras Virgines; & morbo laborantes, & infortuniis conflictatos, & morte periclitantes, & capitali pœna damnatos confovebat, neque eo ſecius ab adminiſtratione

ſacro-

ſacrorum abſtinebat, aut ab aliqua non ſecus quam apud Allobroges in certum quemdam locum, delectis ſibi Sociis, demigratione. In ceteris illa fuit illuſtris, quæ ad Aquas Statellias eſt habita (1), in qua nactus eſt Aſſeclas Mercurinum in primis Gattinariam clarum Oratorem, qui Alexandrinus deinde Antiſtes extitit, Tobiam Reſeghinum, Virum ad id genus rerum accommodatiſſimum (qui duo quidem vita functi ſunt), & Alexandrum Maccabeum nunc item ſuperſtitem, & in ejuſmodi munere quam ſæpiſſime exercitatum. Cum illuc accederet equo inſidens, in rivum quendam, labente ripa, eſt deturbatus, ex quo madefactus quidem totus evaſit, ſed prorſus incolumis. Neque vero curandi corporis fuit ſollicitus. Etenim neque ex equo deſcendit in via, neque ad Collegium noſtrum adventans, ante voluit quidquam ſudarum veſtium adferri, quam in Templo oraviſſet, in quo non perbrevi precatione eſt uſus. Sed de his haud plura. Unum dicam, Recroſium ſic vitam ſemper, tempuſque ſuum digeſſiſſe, ut altera alteri perpetuum ſuccederet occupatio, alterum cum altero laborem commutaret, altera alteram exciperet inſtituendorum morum ratio, & ſalutis hominum procuratio.

Omnia hæc inſuper cum domeſtica, ſex annos, Vercellenſis Collegii moderatione conjunxit; in qua ſe ceteris exemplum præbuit virtutis abſolutiſſimum, rem vero familiarem auxit, & domus ædificationem inſtituit accommodatiſſimam. In quo an prudentia ejus, an labor, an demiſſio prçſtiterit magis, nemo facile affirmabit. Nam ſic ædificium pervetus fatiſcebat, ut inſtaurari vix eo impendio poſſet, quo novum exci-

(1) Anno 1722.

citaretur: atque id fuit prudentiæ. Ædificatione suscepta, ipse & lateres, & cæmenta (adeo deprimendi sui semper studiosus extitit) Operarum instar administrabat. Quæ inter, quamvis in Majori Urbis Templo sibi concionandum esset, non tamen se se ab eo famulatu revocavit. Nam ita partiebatur diem, ut mane rei sacræ, concionique universum daret: reliquam diem labori illi, operæque [1]. Hanc mihi rem Salvator Balduinus, Vir clarus, famaque per universam Italiam, ob munus dicendi, honestissime pervagatus, vidisse se affirmabat, tantamque hominis, inter ceteras ejus virtutes, demissionem potissimum mirabatur.

In hac vitæ ratione cum annum Recrosius ageret nonum & sexagesimum, dissidia, quæ Victorium Amadeum Sardiniæ Regem inter, ac Romanos aliquot Pontifices quibusdam de juribus increbuerant, Benedicto XIII P. O. M. res moderante, sublata sunt. Cum autem in ea rerum compositione conventum esset, ut Civitatibus Sacrorum Antistites suffragatione Regia a Romano Pontifice præficerentur; Recrosius is visus est, qui Niciensi Urbi administrandæ merito proponeretur.

Itaque ad eum Regiæ perferuntur de hoc Litteræ. Sed aberat Vercellis Recrosius; vesperi tamen illius diei, quæ fuit VI. Kal. Quinctiles, Galliato Novariensis ditionis pago, quo Cremona, Mediolanoque rediens, sacrarum exercitationum caussa, diverterat, expectabatur. Vulgatur, ut fit, rei nuntius per Civitatem. Gestiunt omnium ordinum Homines, & ad Sessitem, qui fluvius non procul ab Urbe, venienti-bus

(1) Anno 1721.

bus ab agro Novarienſi, eſt tranſmittendus, redituro obviam proficiſcuntur. Advenit inclinata jam die Recroſius. Videt inſuetam ad flumen frequentiam, in omnium ore lætitiam, ſuique appropinquantis appetitionem. Mirari initio, & ſubſiſtere. Accedunt Viri amiciſſimi, honoremque illum nuntiant, & gratulantur. Tum is, quaſi tactus fulmine, rigere, & obſtupeſcere: dolere inſuper, & in omnium conſpectu conqueri, & lacrymari. Tanta erat ejus animi demiſſio, & a ſummis dignitatibus alienatio. Sed Amici, cum ipſum deducerent, nihil ſecius, ne renueret, ne deeſſet Patriæ, hortabantur: Regiam in ipſum voluntatem publico Vercellenſium honori vertendam aſſeverabant. Recroſius nihil ante ſtatuendum duxit, quam domeſticum venit in Templum. Hic Deum vehementius exoravit, ſibi ut in animum induceret conſilium optimum. A qua precatione voti compos abſceſſit. Nam injecit Deus homini in mentem, ut hoc Regiis Litteris daret reſponſum: *Neque petendum a Regibus quidquam, nec detrectandum: ſe tamen & graviſſimo muneri imparem, & affecta ætate hominem, meminiſſe ut vellet, orare majorem in modum*. Haud plura. Ingreſſus Collegii atrium calamum petiit, ſcripſitque dubia luce ſub feneſtram Litteras conceptis verbis, ac dedit reddendas.

Reſponſio hæc perbrevis Victorio placuit ut cum maxime, Magnanimo in primis Regi, menteque illa alacri in omnibus, & expedita. Verum non modo non aliud conſilii capere, ſed priſtinum perficere inſtitit longe ſtudioſus. Itaque Recroſium advocat, ſingularique humanitate exceptum monet, Romam eſſe eundum; ibidem ſacri honoris inſignia a Romano Pontifice accipienda. Ille quamvis nulla ſe pecunia, nul-

lo viatico instructum sciret; etenim quadrantes octo & viginti universum ejus erant peculium; pollicebatur tamen. Ad quæ cum Rex peteret, qua vellet pecunia proficisci, Recrosius vero deesse hanc sibi candide fateretur: *Sciebamus scilicet*, Victorius reposuit, commendavitque hominis liberalitatem, qui omnem semper pecuniam in sacræ ædis supellectilem contulisset. Jussit vero ipse præberi viaticum. In quo & Regis munificentia enituit, Recrosiique animus cum ad omnia paratissimus, tum nullo unquam auri studio sollicitatus.

Igitur IV Nonas Quinctiles, Marco Zanino comite, homine nostri Ordinis, sibi pridem famulo, familiarique, qui & nunc vivit, & nobis scripto quamplurima in hanc historiam suppeditavit, Romam versus discessit. Est autem hujus loci dicere, quo ille cultu longinquum iter ingressus est. Etenim nullis sarcinis est usus, vix alterum in bulga indusium detulit, alia insuper ad usum paucissima. Ipse vulgari, & obsoleto quodam sagulo indutus, obligatis funiculo calceis more nostro, caligis e simplici, atratoque filo tam resartis, ut cum Mediolanum venisset, omnes plane tantum hominis neglectum admirarentur; quas quidem caligas, quibusdam nostrorum arbitrantibus cum præclara hominis dignitate minus congruere, vix ipse deposuit rogatus; novas tamen nisi laneas non est passus adferri.

In hoc itinere cum multa animo versaret, quæ ad injunctum sibi gravissimum munus spectabant, aliquot, præter morem, dies incessit exanimatus. Sed cum Parmam venisset, Fanumque ingressus esset, quod Beatissimæ Virgini dicatum in ea Urbe nostri habent, non grande quidem, sed elegans, multaque hominum fre-

frequentia cultissimum; Illius patrocinio se, metumque suum maxime commendavit. Protinus visus est Virginem ipsam videre, seque amplecti, verbisque erigere suavissimis, atque: *Ades*, inquit, *animo, & omitte timorem*. His dictis evanuit. Traxit Recrosius ex imo suspirium, vultumque mutavit; tum inde digressus narravit Comiti cœleste donum. Est autem ex eo Deiparæ complexu sic roboratus, ut summam hauserit animi alacritatem, quæ in eo deinceps perpetua extitit. Et jam magno itinere ad montem Phisconem venerat; Ecce subito ab Regis Legato venit Roma nuntius cum Litteris: *Ibidem consistat, ne proficisci velit, donec ab Urbe novi aliquid adferatur*. Recrosius nihil est eo nuntio commotus. Posteram diem perinde egit, ac si perpetuum in eo oppido domicilium constituisset. Nuntius alter adest in crastinum de multa nocte: *Romam properet quanto citius*: Recrosio autem nihil est moræ. Erat ea nox serena admodum & illustris; Ipse in vehiculo, ut assueverat, precationibus Davidicis, aliisque utebatur, Socius obdormiscebat. Hunc evocat extempore, jubetque cęlum aspicere, visurum pulcherrima, quæ quidem intueri se affirmabat. Nihil hic nisi stellas videt. Iterum, ac tertio monet, eo ut intendat, quo se spectare significabat. Nihil cernit Socius, nisi quod ante. Ajebat tamen Recrosius videre se aperto cęlo Virginem Deiparam, Cęlituum choro circumdatam, trahebatque orando eam noctem, &, *O quam intueor pulcra! O quam pulcra!* sæpius repetens, Romam tandem orto sole pervenit.

Sed neque post multo doctrinæ ejus specimen coram Pontifice exquisitum est. Recrosius ita omnibus satisfecit, ut sit præclaram eruditionis famam adeptus.

ptus. Præterea eum Pontifex complexus est humanissime, donavitque ibidem gemmea cruce: Ac *Benevento*, inquit, *hanc gestabamus. Damus qualemcumque, daturi, si suppeteret, longe meliorem*; appenditque ei collo, & multa hominem cum benevolentiæ significatione dimisit.

Adornabatur eo temporis Ebroduni, Galliæ Narbonensis Urbe, Concilium, in quo cum multa ad rem sacram, atque optimam disciplinam agenda erant, tum de Sanitiensi Antistite, gravibus de caussis, exauctorando decernendum. Pontifex, qui errantem reducere vehementer cupiebat, cum quarto post die ad Deiparæ fanum *supra Minervam* sacra facturus accessisset, eo Recrosium accersiri jubet, evocatumque alloquitur solus. Ei Sanitiensem Episcopum etiam atque etiam commendat, imperat Ebrodunum quamcitissime petere: sperare se de illius opera, quin & confidere. In illo sacrorum Antistitum conventu se commissurum, ut sacræ infulæ potestati initiaretur. Ad quæ cum Recrosius se paratissimum præbuisset, tum Pontifex accitis Arbitris, *En*, inquit, *verum obedientiæ filium*; atque hæc dicens illius manum complectebatur. Igitur se ad iter, quam primum potuit, comparavit. Id unum paullo tentabat Recrosii animum: abscedere se Roma, nec Purpuratos Patres convenisse; nullum præstitisse officii genus, quod in ejusmodi maxime consuesceret. Sed eum Pontifex sollicitudine hac liberavit. Abscedenti enim, *Nos*, inquit, *vestro nomine, id exhiberi officii curabimus*. Quo Tanti Pontificis dicto, nescio an in Recrosium humanius aliud, an honestius afferri possit.

Sed ei discessio hæc multo gravior accidit, quod a Congregationis nostræ sinu atque complexu non deduci se modo, sed quodammodo divelli sentiebat.

Ete-

Etenim cum primum Nicienfis Epifcopus eft renuntiatus, datis ad Congregationis univerfæ Præpofitum Litteris, poftulaverat, ut in Vercellenfis Collegii Affeclis non eo fecius accenferetur, Collegiique ejus Moderator per vices futurus is effet & fui. Qua fane poftulatione, quantum hanc fodalitatem adamaverit, quam modefte, fummiffeque egerit, nemo non videt. Sed virtutis utriufque in eo difceffu multo luculentius teftimonium dedit. Etenim pridie vefperi in publica concione eam habuit orationem, quæ omnium animos mire commovit. In ceteris, quæ innumera in fe extitifse profitebatur Ordinis noftri merita, illud ajebat habere maximum, quod eo fummo munere honeftaretur; numquam enim futurum fore dixit, ut fibi, nullo nomine illuftri, extra hunc Ordinem tantus honor decerneretur. Quo dicto quidem quanto fui pretium extenuare nitebatur, tanto reipfa magis augebat.

Igitur III Nonas Augufti in viam fe dedit, pridieque Idus citatis equis Vercellas advenit. Sed Regiæ, gravefque Litteræ huc eum conveniunt, quarum cauffa ad Idus ufque Septembres fubfidere coactus eft. Tum Taurinum accerfitur, & Regia inftructus lectica, & aulico famulatu ftipatus Ebrodunum dimittitur: quo tamen, Senitienfi Antiftite, ut metuerat, jam exauctorato pervenit; fuitque id fibi graviffimum; nam cupiebat mandato Pontificis obtemperare. Sed nondum erat diffolutum Concilium. Quare in Epifcoporum quatuordecim corona (1) facra infula honeftatus eft, riteque initiatus, & in Sacrum illum Senatum exceptus; pertinet enim ad Ebrodunenfem Pro-

(1) XI Kal. Octobris.

Provinciam Ecclesia Niciensis. Mox autem, cum ejus Concilii Acta promulgarentur, interfuit, iisdemque subscripsit. In eo cętu gravissimo opinionem sui reliquit honestissimam. Etenim Patres non præsentem modo alloquebantur, conveniebantque humanissime quoad Concilium protractum est; sed etiam absentem salutabant crebro per Litteras, & identidem consulebant. In ceteris accipio Eminentissimi Principis Petri *Guerein de Tansein* liberalitatem, humanitatemque enituisse. Is enim, qui tum Ebrodunensem Ecclesiam moderabatur, non modo Recrosium hospitio excepit, sed omnibus benevolentiæ officiis complexus est, iniitque cum eo frequentem admodum consuetudinem Litterarum, ex qua insuper ferunt, Recrosii nomen vel in ipsa Parisiensi Aula inclaruisse, eundemque Amplissimi illius Regis in se conciliavisse non minimam voluntatem.

Ebroduno demum III Kal. Octobres, itinere per ea montosa loca satis incommodo, Niceam versus discessit: cumque in D. Laurentii pago trans Varum flumen dies aliquot apud Monachos S. Pontii Benedictini Ordinis hospitatus fuisset, tandem XV Kal. Novembres Urbem ingressus est, omnium Ordinum cętu stipante. In hac statim quanta excelleret virtute significavit. Etenim vesperi cubiculum ingressus, cum in eo molliorem lectulum serico stragulo, linteisque tenuvioribus instructum vidisset, confestim detraxit, abjecitque omnia, jussitque vulgariter admodum insterni, ajebat enim, se paupertatem professum, vel eam nactum dignitatem, in ea se fore victurum. Quibus verbis quantum re ipsa responderit, suo loco dicam.

Mane posterum, primamque illam diem sic est auspicatus, ut omnes intelligerent, quæ vitæ ejus ratio

tio futurum esset. Omni enim officiorum genere prætermisso, primos omnium convenit homines carceribus mancipatos, quos est suavissime allocutus, neque secius sub vesperam ad valetudinaria perrexit, ac morbis conflictatos solatus est incredibili charitate. Deinceps nullo urbanitatis officio defuit, & Rem sacram curare institit diligenter. Sed illud primum removendum esse intelligebat incommodi, quod multorum animos, mentemque turbaverat. Nam Castronovi, pago ab Urbe non multum dissito, sic mulierum quarundam insania haud scio, an improbitas invaluerat, ut multæ a malo spiritu correptę haberentur, multæ se lymphatis fœminis quamsimillimas mentiendo præberent. Verum res longe alio spectabat. Harum enim aut levitate, aut malitia Quidam abutebantur, quorum fuisset compescere hujusmodi temeritatem. Recrosius se illuc contulit, & quasdam allocutus, quæ maxime Dæmonem pati asseverabant, omnium compescuit dementiam, jussitque a nemine, se inconsulto, sacras adjurationes adhiberi. Tum Curionem ejus loci ab ea administratione semovit. In hunc vero, & Sacerdotes duos graviter animadversum. Nam ad conciliandam campestri cuidam Fano singularem frequentiam eam excitaverant levissimarum mulierum simulationem. Sacra item ne eo in Templo fierent, Episcopi auctoritate interdictum est.

His compositis, Monacum Novembri ineunte se contulit, Arcem in ora Ligustici maris sitam sub Grimaldæ gentis dominatione. Huc venit officii caussa in Virum eum Principem, a quo cum exceptus fuisset perhonorifice, tantam inivit gratiam, ut Recrosio dominari ibidem, quod humanissimis verbis se velle professus fuerat, re ipsa dedisse videretur. Quare

re & multi, ejus plane arbitratu, carceribus educti, & quidam postliminio revocati. In quo elucet & summa Dynastæ illius suavitas, & Antistitis mira gratia. Hæc vicissim officii caussa initio sunt gesta. Eadem tres deinde post menses, mira quadam concertatione, utriusque lenitas cumulavit.

Nam cum Recrosius omnia lustrare diligentius vellet, Templumque princeps, ac cetera urbana loca, in quibus sacra agebantur, divinorumque administrationem non in Urbe modo, sed maritimis quibusdam in oppidis sedulo scrutatus esset, Monacum eadem de caussa, appetente vere, concessit. Eo ut honestissime deduceretur, navim decreverat Princeps ornatissimam; sed ea Recrosius, qui mare non ferret, minime est usus, & in equo incessit. Desilientem ad pedes ita excipi jussit Grimaldus, ut honores retulerit Antistes plane Imperatorios; tantumque absuit, ut juris accesserit, honorisque contentio ulla, ut nihil Princeps haberet antiquius, quam Sacrorum Antistitem colere, eundemque complecti officiis omnibus humanitatis. Res accidit memoratu digna, quæ singularem Viri in dicendo vim, de qua sermo sæpe incidit, confirmabit magis.

Nam Recrosius cum ea, quæ ad sacrorum rationem pertinent, ibidem pro virili cognovisset, tum e suggestu dicere aggressus est, habuitque orationem lingua gallica ornatissimam. Hac enim lingua uti maluit, quam cognosceret eo loci congruere, in quo Galli Milites præsidio sunt: aderant autem copiarum Duces, gregariique Milites quam creberrimi. Ad ipsum vix ab oratione in ædes concedentem Miles quidam accessit. Se in genua dat supplicem, fletque adeo effuse, ut vix quidquam valeat loqui. Excipit eum Antistes, tantaque erigit humanitate, ut tandem adje-

adjectis animis fateatur, a Religioso quodam cœtu se transfugam, sacroque Ordine *Diaconatus* initiatum. Eo se militiæ dedisse, ut rerum inopiæ consuleret, & armis ad vitæ licentiam abuteretur: sibi ut præsto esset, rogare, neque vero de auctoritate quidquam, neque de voluntate ejus diffidere, cujus potissimum fuisset oratione perculsus. Talia roganti Recrosius opem omnem pollicitus est, primumque impetravit, ut eum Princeps militari sacramento solveret, deinde per Litteras sic egit cum Ordinis illius Moderatoribus, ut eum non exceperint modo, sed & humaniter in ipsum egerint, levique admodum pœna multaverint. Hic fuit concionis ejusmodi fructus, haud scio an Desertori illi salubrior, an Recrosio jucundior.

Tempestate jam mitescente, postquam sacrarum Virginum Collegia in Urbe recensuit, reliquum ditionis ejus ut lustraret, iter instituit. Sunt ea loca prærupta, & montosa admodum, adscensu difficilia, descensu periculosa. Nam vix Urbi planities adjacet, cetera tenent Valles salebrosæ, montesque asperrimi, bidui interdum triduique distantes. Sed nihil Recrosium absterruit ab ea quamvis difficili peregrinatione. Vernum tempus, Æstatem omnem, bonamque Autumni partem transegit in montibus, præter nonnullos ante Pentecosten dies, quibus in Urbem venit. Atque hic Sacrorum Ministros, qui quidem in Urbe versabantur, coegit in unum omnes, quibus divina ad meditandum decem continentes dies proposuit, habitis ad eos quam optimis cohortationibus.

Verum hic locus est, ut, qua in hujusmodi peregrinationibus ratione uteretur, dicam breviter. Primum ergo Comitibus utebatur numero paucis, utilitate optimis. Nusquam non necessariam ducebat mo-

ram. Mensam non est passus nisi sobriam. In ea obsoniorum numerum decreverat; tria videlicet ut ponerentur fercula præter secundam mensam. Ipse quamvis in equo incederet, sæpe & pedibus ingrediebatur. Nihil eum fatigavit, nihil moratus est. Interdum pluvio cœlo, cunctantibus ceteris, solus in viam se dedit, Comites longo post intervallo, ne segnes viderentur, secuti. In Pagos cum venisset, recta adibat Templum. Precatione usus religiosissima, in ea, quæ ad Sacrorum administrationem, ad Christianam puerorum institutionem, ad morem, consuetudinemque ejus gentis spectarent, inquirebat diligentissime. Cum quispiam Asseclarum ejus e suggestu dixisset, semper enim habebat, aliquem ad id comparatum, tum ipse secus Altare faciebat ad populum verba. Administrabat Confirmationis Sacramentum, populoque beneprecatus pergebat alio.

Hujusmodi ratione usus cum universa ea loca peragrasset, multa decernere, atque edicere aggressus est, quæ optimam rerum omnium disciplinam, optimos mores spectarent, emendationemque vitiorum. Itaque (1) sacrorum Virorum Concilium egit, quod Synodum vocant. Quo autem rerum omnium tractatio felicius obtineret, curavit ante dies octo quam in concionem ventum est, ut sedula officii sui, rerumque supernarum consideratione, eo omnes accederent paratiores. Quos cum ipse mane, tum vesperi alloquebatur, ac placidissima rerum explanatione eorum animos temperabat. Conventu postmodum inito, sancitæ leges, evulgatæque. Nihil non ad summam Religionem, prudentiam, moderationem accommodatum. Triduo absoluta omnia. Hæc,

(1) Anno 1728 post Pascha.

Hæc, quæ bases, & fundamenta illius administrationis Recrosio videbantur, cum essent optime constituta, tum in alia quædam incubuit, quibus solidarentur cetera, & ornarentur. Collegium autem Adolescentum, quod apte Seminarium vocant, conducta ante in domo tenue, & angustum, amplum in primis, atque opportunum ædificavit. *Canonicos*, ut ajunt, quinque, ceterorum, qui diu repugnaverant, numero inseruit. In horum Collegio Theologum decrevit, certis ei redditibus constitutis. Campestre quoddam Fanum proventu, & Curione instruxit, ad populi commoditatem. Majus Templum & Turri, & Campano ære, & Organo ornavit non modico sumptu. In quibus condendis etsi multam, quam Testatores duo alio legaverant pecuniam, Romani Pontificis auctoritate convertit, monumenta tamen reliquit liberalitatis, prudentiæque suæ. Eo enim Pontificis potestatem interponendam esse duxit, ut fructus, qui perdiu, impedita voluntate Testatorum, interierant, in id tandem verterent, cui nemo refragaretur; quod prudentiæ fuit in primis. Ex his vero quædam ære suo fecit integra, quædam impendio suo perfecit; in quo eminet liberalitas.

Sed quidam non defuerunt, qui eum vel in his carperent. Quidam præterea rationem, qua res moderabatur, sic improbarunt, ut plenas querelarum Litteras dederint ad Regem ipsum. Quæ quamvis initio Regis animum sollicitasse viderentur; re tamen perspecta, tantum abfuit ut de Regia in eum voluntate quidquam detraheretur, ut & multa deinceps Victorius Amedæus cum eo gravissima communicaret, & Carolus Emmanuel paullo post nactam Regni administrationem ab eo conventus, non modo Recrosium humaniter

ex-

exceperit, verum & in Regiam fidem receperit: Fiebat propterea cum eum niterentur opprimere, ut inclaresceret magis. Ceterum in his semper constans, & alacer extitit. Obloquentibus enim respondere consueverat: Velle se iis legibus res moderari, quæ sacrorum Canonum decretis maxime consentirent. Infulam sibi non tanti esse, quanti suo muneri fecisse satis. Hac utendi ratione si Regis animus offenderetur, non defuturum sibi apud Fratres suos cubiculum, quo se reciperet, vitamque degeret tranquilliorem. Verum boni omnes eum maxime complectebantur: Neque vero multi faciendæ sunt eorum obtrectationes, quorum mores infirmant auctoritatem.

Sane ea Recrosius virtutum exempla præbuit, quæ facile omnium in se obtutus converterent. Summa enim facilitate omnes excepit, mira se in omnes præbuit charitate. Nihil habuit, quod suum arbitraretur. Si quid pecuniæ interdum coegisset, animo erat sollicito, nec ante acquiescebat, quam in aliorum contulisset utilitatem. Dabat propterea omnibus liberaliter, multorumque inopiam clam sublevabat. Etenim Curionibus, Virisque Religiosis pecuniam distribuebat, qua honesto loco nati, sed fortuna perculsi homines levarentur. Verum & pauperum gregi quantuscunque accessisset, stipem ipse erogabat in singulas hebdomadas certa die. Illud vero memoria dignum accidit, quod in populi inopia, & fame, multaque annonæ caritate ab eo est gestum (1). Etenim quidquid frumenti habebat, nullo, ne in familiæ quidem usum, servato, vendi jussit non modo minoris quam ceteri, sed eo pretio, quod vel minimum esset, cum summa est copia. Sed

(1) Anno MDCCXXVIII.

Sed cum in alios adeo esset effusus, tam sibi continens, tam abstinens fuit, ut nihil ejus victu parcius, nihil vestitu, cultuque simplicius esset. Si quid obsonii apponebatur suavioris, ne gustabat id quidem. Vix illud cibi capiebat, quod vitam aleret, atque hoc rudius, & sæpe frigida superfusum, quæ, ut ajebat, citius defervesceret; verum reipsa, ut omnem ex industria saporem amitteret. Nam ei miræ artes inerant, quibus parcitatem hanc suam obtegere conabatur. In ceteris cum accubuisset, sic multa comparare videbatur, ut nemo non eum copiose esurum duceret. Verum præter jusculum, panemque, elixum aliquid, & quædam raphanorum folia, quæ acetarii instar condiebat, vix sumebat quidquam. Neque vero hanc victus rationem, qua semper est usus, cum ei facta esset dignitatis accessio, vel minimum immutavit. Etenim quamvis Familiarium caussa, quos convivas adhibuit, fercula quotidie apponi quinque præter bellaria jussisset, ipse tamen nihilo temperavit a cibo minus. In mensa præterea anagnostem decreverat unum ex familiaribus: Legebatur autem mane Sacrorum Bibliorum pars aliqua, Vesperi de S. Philippi Nerii, Sanctive Francisci Salesii vita capitulum, ad quartam partem horæ. Reliquum colloquiis utilibus concedebat. Qui ritus etiam hospitibus accumbentibus servabatur. Nam crebro hospites habuit quotquot animorum Moderatores ad Urbem accedebant negotiorum caussa, quos non alio sinebat, quam apud se hospitari.

Vestitus autem ejus fuit, in quo paupertas, modestia, suique abjectio enitesceret, tegendo corpori, non protegendo accommodatus. Etenim quo amictu æstate usus est, eodem & summa hieme incessit. Quocir-

circa dubitandum est, an calore per æstum, an per brumam frigore torqueretur magis; atque hac vestiendi ratione semper est usus. Reficiebat autem sibimet omne indumentorum genus, cui labori quandam a meridie horam decreverat. Neque huic operi vel in ipsa Niciensis Urbis moderatione parcendum duxit. Habebat autem in Palatio cubiculum quoddam penitissimum hujusmodi exercitationi decretum. Hoc vero cubiculum, quamvis nihil, ne pecuniam quidem, obseratum haberet, seris, & clavibus diligentissime custodiebat; propterea ut multi arbitrarentur nummos ibidem occludi. Qua opinione factum est, eo mortuo, ut quidam omnem ejus rem perscrutantes, cum perfractis postibus, nam claves deerant, in eum locum penetrassent, deciperentur probe, nihil præter formas, panniculos, & scruta reperientes. Sed quamvis extimam vestiendi rationem servaret, quæ dignitati, honestatique suæ congruens habebatur; attamen neque intimam immutavit unquam, neque eo minus ambulatum prodibat ex Urbe more aliquando nostro vestitus. In quo an ipse demissior, an erga nos amantior videri voluerit, non facile judicaverim..

Ad ornatum quod attinet, nihil nisi vulgare habuit. Nam semper mirificum se paupertatis amatorem ostendit, de quo nonnulla superius diximus, & quædam inferius accident in hoc ipsum commemoranda. Hæc autem fuit Antistiti habitatio. Cubiculum paullo amplius, quo venientes excipiebat, sellis duodecim vulgaribus ad nudos parietes, unoque abaco instructum xylino superstrato, Christique Crucifixi imagine imposita. Huic cubiculo receptus quidam adjacens lectuli fuit locus, in quo nihil, præter ligneum scabellum, habuit. Lectulus vero non delicias, aut pom-

pam

pam referens, sed summam simplicitatem. Familiam aluit mediocrem, utilitate optimam, forma tenuem. Nam & famulis dari jusserat vestes simplices admodum, & famulatus indicia vix habentes. Ipse interdum sine pedissequis incedebat, nemine stipante, unoque comite contentus. Et quoniam de ejus familia sermo incidit, opportunum erit adiicere, qua eandem ratione moderaretur.

Pietatem in primis, Religionemque omnibus commendaverat. Ne strenas, ne munera, ne pecuniam acciperent. Agentem secus dimitti decreverat. Qua lege & Sacerdotes teneri voluit, & ceteros Curiæ, Forique Administros, mercedibus ad Innocentianam taxationem redactis. In illis, præter optimos mores, omnem vestitus, cultus, incessus moderationem, ac modestiam requirebat. In his justitiam, & æquitatem. Vespere, cum cœnatum esset, omnes in domesticum Sacellum convenire jusserat; quo loco quisque in semet inquireret, recoleretque præteritæ diei acta omnia, tum fusa ad Virginem Beatissimam prece somno indulgeret. Ipse aderat, exemploque suo omnium animos ad pietatem incendebat magis.

Igitur cum domum suam mirifice constituisset, mirum non est, in Domo Dei componenda, tanto fuisse studio ac diligentia. Nihil, quod suarum partium esse duceret, prætermittebat, de quo & superius multa diximus. Sed ipse præterea de suggestu dicere consueverat, quo gregem pasceret per se Ipse. Id vero agebat Pontificio ritu, ut dignitate, majestateque illa verbis ipsis vis quædam, si fieri posset, & auctoritas adderetur. Verum ejus vitæ ratio, & mira illa, qua semper maxime valuit, comitas, suavitasque sermonis, difficile dictu est, quantopere omnium animos

conciliaret magis. Illud pariter sibi fuit commendatissimum, ut Sacrorum Ministros in primis idoneos præstantesque decerneret. Etenim cum animadvertisset quosdam, qui Mulierum Confessiones audiebant, singularis cujusdam institutionis nomine, longe cum iis agere imprudentius, quam tanti muneris officium postularet; eas siquidem non modo domum convenire, sed verberibus cædere consueverant, quo, ut ajebant, vexando corpori assuescerent; illos ipse & ab officio semovit, & Urbe interdixit, Sacerdotibus constitutis, in quibus solida religio prudentiæ comes reperiretur. Initiandis vero Adolescentibus operam dabat accuratissimam, ex quibus cum optimos, tum paucissimos propterea secernebat. Neque ullius unquam commendatione movebatur, tantumque abfuit ut quisquam ejus animum officiis emolliret, ut potius ad cavendum vel eo magis intenderet; fiebatque propterea, qui nulla suffragatione, quam qui multa freti, facilius ut impetrarent. Cujus exempla non adferam, ne sim longior.

Ceterum in eo erat cum summa humanitas, tum mira comitas, ut nemini, quamvis humili, ad eum aditus non pateret. Nam certas quotidie cum mane, tum vesperi horas decreverat, quibus aditum petentibus conveniendi dabat. Neque erat aut in deliberando morosior, aut in concedendo difficilior, aut in detrectando durior. Ad suavitatem omnia temperabat. Quæ quidem in ejus virtutibus ita eminebat, ut illicium quoddam esset, & vinculum animorum. Ut aliquid de me dicam, qui Mediolani primum eundem novi (1) annos ego tum natus duos, & viginti, sic ejus

(1) Anno 1722.

ejus adspectu delectabar, ut mihi ipsam intueri videretur imaginem Benignitatis. Sed cum deinceps [1] Laudæ Pompejæ versarer, Is autem Cremona Vercellas rediens, non multos ante dies, quam Niciensis Antistes deligeretur, ibidem pernoctasset, eundemque amicissime allocutus essem, illam ab ejus sermonibus hausi, quam habui semper de singulari ejus pietate, suavitateque præclarissimam opinionem. Sed alia sunt, in quibus hæc maxime inclaruit, longe meliora. Etenim hæc ei fuit perpetuum ad animos penetrandos, fingendosque instrumentum. In ceteris, quæ afferri possent, exemplis, unum sufficiet, aut alterum protulisse. Vercellis jacebat Meretrix gravi morbo correpta, morteque periclitabatur. Ad eam cum multi accessissent, graviterque cohortarentur, ut pristinæ improbitatis pœniteret, in eoque discrimine expiaret animum, intercidebant omnia, scortumque pervicax obnitebatur. Recrosium advocant, quem scirent ad animos flectendos valere plurimum. Is cum Meretriculæ nihil præterea, quam, *Amemus, Mulier, Deum*, suavissima voce dixisset, sic ejus emollivit, subegitque animum, ut ei adlibuerit illud ipsum, quod ante respuerat. Continuo enim anteactæ vitæ labes tam dolenter confessa est, ut nemo de illius, quæ neque post multo defuncta, est perpetua incolumitate non sit optime ominatus. Aliud Niceę accidit non absimile. Sacerdos quodam in Pago, intemperans in primis, ac dissolutus, ad se jussus est evocari. Homo, ut malefactorum conscientia improbos male habet, venit ad Urbem trepidus, admittique postulat plane dejectus. Convenerant tum Recrosium Viri quidam præclari, gra-

(1) Anno 1727.

gravibusque invicem de rebus disserebant. Admonitus eum adesse, quem advocaverat, abrumpit quam cito sermonem, tractationemque dissolvit. Ad fores convolat, Sacerdoti dat collo brachia, eundem manu tenet instar hominis amicissimi, inducitque in peniotiorem recessum tanta humanitate, ut nemo non miraretur, qui Sacerdotis licentiam comperisset. Hic vero sermonem cum eo miscet ad multam diem: Eundem adhibet mensæ socium, complexumque omni benevolentia dimittit sic emendatum, ut castigatissima prorsus ratione vivendi non aboleverit modo anteactæ vitæ famam, sed novam sibi, eamque honestissimam conciliaverit. Scilicet, in ejusmodi non judiciario more, sed paterno utendum sibi esse ducebat, quo non incrudescerent animi, sed flecterentur, eoque facilius, a vitiis ad virtutem deducerentur. In quo non modo Sacerdotii honestati volebat esse consultum, sed etiam famæ Profanorum hominum, quorum plurimos ad bonam frugem, non alia unquam ratione traduxit.

Sed aliud præterea adiiciam comitatis ejus luculentissimum testimonium. Revertebatur ille Taurino; nam fuerat ad eam Urbem officii, ut meminimus, caussa profectus, paullo post abdicatum a Victorio Amedęo, Invictoque Filio traditum Sardiniæ Regnum. Et jam placido per summam hiemem, ac sereno cęlo Tendę jugum transmiserant. Cum esset meridies, hic Veredarium sistere, & corpora curari jubet. Sed obsonatur paucis. Elicitur e phiala vini spiritus, & crustula immerguntur: Hoc unum obsonium est, quo inedia, & frigore deficiens stomachus roboratur. Inter hæc, homo ex alto emicat, trux visu, aspectuque ferus, qui cum accessisset, ac stipem, ut ejus gene-

ris

ris solent, exulis nomine postulasset, se Ducem professus est cujusdam latronum manus, non procul in insidiis delitescentium. Erat Recrosio comes Alexander Cervius Sacerdos ceterum non abjectus. Hic inopinata re tantum animis concidit, ut vix loqui posset; cumque ei credita esset pecuniæ administratio, ut Latronem quantocius semoveat, plenam porrigit argenteis monetis volam. Recrosius non modo nihil commotus, sed consueto festivior, ipsum alloquitur advenæ in modum. Et quoniam, non pridem multo, Desertoribus, ac postliminio damnatis edici veniam Rex imperaverat; hortatur ne prosperam opportunitatem negligant: longe habituras eorum res melius: se quidem in suam eos fidem recepturum, & si quid opis impetraturum. Hunc inter sermonem Prædoni dat crustula, eique miscet; quare & panem eodem in cyatho vicissim imbuunt, & in tanta hominum disparitate perinde utuntur atque pares, & amicissimi. Sed quanquam Recrosius videt, se nihil hortando, nihil pollicendo proficere, non tamen cum Grassatore est usus illiberaliter. Nam optimam, & integram spiritus phialam extrahit; atque, *hanc habeto*, inquit, *in Socios*. Homo etsi improbus, mollitus ea suavitate, in genua dedit se se, rogavitque, sibi ut a Deo bene precari vellet, discessitque haud scio an munere, an benignitate devictus magis. Cervius, cui nondum animus satis revixerat, festinat quam celerrime progressionem. Jamque in viam se dederant equis, quantum in ea crepidine licet, citatis. Homo per diverticulum denuo venit obviam: vacuam ostentat phialam, gratias & suo, & comitum nomine agit plurimas, seque, & Asseclas in difficili illo montis descensu adjutores fore promittit. Quod tamen officium cum

cum humaniter recusaret Antistes, vix Latro eam pati repulsam videbatur, & abeuntem non sine perspicua amoris, animique significatione dimisit. Adeo valet in efferatos animos loquendi lenitas: ac *verbum dulce* non modo *multiplicat amicos*; verum, quod nobis divino eloquio testatum est, *& mitigat inimicos*.

Verum tam benignus, tam comis in ceteros, satis tamen parce, ac duriter seipsum habuit. Nam præter illam, de qua superius egimus, sumendi cibi parcitatem, qua jejunium ejus ferme perpetuum extitit, in corpus suum egit paullo severius. Id siquidem non intermisso labore vexabat, vix ullo somno reficiebat, nunquam nisi stramineo super tomento decubuit, nam detractam suis ipse manibus, vel Antistes, culcitam seponebat. Vigilabat interdum orans integram noctem. Stabat plerumque; vix sedebat: in genua nixus transigebat multam diem, ac vesperam. In summo frigore ferme nunquam ad ignem accessit, atque ad hunc vix manum, brevique admodum, intendebat, nec nisi flexis & hic genibus. Ex qua in genua nitendi consuetudine utrumque habuit ulcerosum, neque eo minus eisdem pepercit. Singulis noctibus semel flagellis cędebat se se; bis in solemnioris Festi pervigiliis. Neque noctu solum, verum etiam interdiu, cum ei grave, molestumque aliquid usuveniret. Nicex si nefas, factumque improbum sibi relatum esset, eadem se castigatione affligebat, ut veniam populo deprecaretur; neque secius si, connubii ineundi caussa, privilegium quodpiam propterea postularetur, quod crimen sponsos intercessisset. Qui Antistitis mos cum deinde Scribis innotuisset, in simili caussa, dissimile nomen interponebant, ne in se ageret tam severe. Villas item, & compita cum lustraret, & veniens

aliquem in locum, & inde discedens, plectebat se se. Sic autem flagellis utebatur, ut procul ictuum sonitus exaudiretur.

Ex quo mirum non est, qui corpus adeo coerceret, animum non minus, animique motus facile domuisse. In primis vero nulla in eo cupiditas viguit, nullus rerum caducarum amor; non eum voluptas, non honor, non pecunia sollicitavit; nesciebat enim quanti penderent nummi ipsi leviores. Sic vero carnis, luxuriæque appetitum extinxit, ut quidam puta. verint, eum plane Virginem decessisse. Sane omnem fœminarum consuetudinem cavit, nec eas, nisi caussa earum salutis, alloquebatur. A quibus etsi aliquando sollicitatus, victor abscessit. Easdem, quod Niceæ propter muneris administrationem usuveniebat, cum postulassent admitti, nunquam, nisi aut januis patentibus, aut teste adhibito, excepit. Nemo eum vidit non plane vestitum, siquidem, ne Sacrorum quidem Antistes, ullum habuit, nisi nomine tenus, sibi a cubiculo decretum. Nemo in ejus corpus intendit manum, neque enim id tulit ne in morbo ipso quidem. In eo, cujus vi desiit, cum multa circa eum fieri oporteret, in quæ per se ipse non posset, nullam, nisi linteo implicitam, manum sibi passus est admoveri. Iracundiam vero radicitus compressisse videbatur. Æquo semper, hilarique animo fuit, vultuque placido, ac sereno. Si quam accepisset contumeliam, nihilo movebatur magis, omnemque nihili duxit, quamvis gravissimam offensionem. Quadam in Villa cum instructa jam mensa ad cœnandum accederet, clam est mensæ impositus nothus infans; qua improbitate Quidam petulans arbitratus est, se Optimo Præsuli posse admodum ludificari. Id ipse intuitus, quanquam continuo ab ea

domo

domo discessit, non est questus tamen; imo cum Regii Judices in hominis crimen inquirerent, se se interposuit, nec passus est in ipsum, quem deprehenderant, animadverti. Scilicet, de iis optime semper est meritus, qui de se meriti essent pessime. Quod maxime in eos præstitit, qui Regis animum contra ipsum calumniando incenderant, in quibus domestici sui quidam non defuerunt. Commemorantibus autem in familiari sermone tantam illorum hominum improbitatem, abrupta statim oratione, *Ecqua ad cęlum hac?* ajebat: *Paradise, Paradise: Sunt hac ad Cælum levia!* Qua de re nihil commovebatur, quod animum certissima præmiorum spe in summam erigebat alacritatem. Illud insuper huc referendum, quod in ea positum est sui ipsius despiciendi industria, qua semper est usus. Olegii, quod est in agro Novariensi illustre oppidum, ac frequentissimum, [1] dum sacras haberet conciones, a Marco Zanino Ordinis nostri *Converso* Fratre, de quo superius memini, officii caussa conventus est. Cum hic de Recrosii domicilio quæsiisset, eum vix tandem reperiit in Vespillonis domo hospitantem. Qui locus cum paullo abjectior Zanino videretur, is Recrosium admonuit, ut alio abscederet: *Immo*, ille inquit, *hic mihi opportunior locus, quo mors mihi in animum venit sæpius.* Scilicet, & in hominis abjectissimi domicilio se negligere, & memoria futuræ mortis in ea se abjectione continere studebat. Ebroduno item cum primum Niceam proficisceretur, correptus intempesta nocte ab hospitio procul, in Molitrinæ casam se recipere coactus est. Mirum est, quam tranquille eam noctem transegit insomnis,

nec

(1) Anno MDCCXXII.

nec nisi pauco pane refectus, ovoque elixatione durato. Illud insuper multorum est instar, quod Sacrorum Antistes decretus, non gentilitio stemmate, sed eo, quod Congregationis nostræ est, signo usus sit, superposito eidem pileo, ceterisque insignibus, ut mos est Episcoporum. Fecit autem, ut in Ordinem nostrum, quem maxime adamavit, omnem ejus dignitatis honestatem ea significatione transferret, nihil sibi tribueret, nam parvi, præter quam dici possit, pendebat se se.

Profecto in illa Sacrorum administratione nihil ab institutis nostris unquam discessit. Servabat Ordinis nostri jejunia, nostram in victu vestituque, ut diximus, simplicitatem, nostrum, vesperi ante somnum semet discutiendi, ac Deiparæ, Sanctoque Paullo Congregationis Patrono constitutis precibus commendandi, Ordinis morem. Hinc se in cubiculum recipiebat, & ad peractam usque mane postero rem sacram silentio utebatur. Multam in Collegia quædam pecuniam contulit. Vercellensi tantam largitus est, quanta pavimento, septoque marmoreo majoris in Templo sacelli elaborando esset satis. Taurinensi, in ædificandi usum, nummos argenteos octingentos; quos ut cogeret, cum tantundem pecuniæ deesset, quidquid habebat argenti vendidit, ut ostenderet, nostrorum se opportunitati magis, quam suę consulere. Veterem cum nostri Ordinis hominibus familiaritatem & servavit, & aluit consuetudine litterarum, quas crebro ad quosdam etiam infimos dabat, nec iis erat quidquam suavius, aut familiarius. Nostrorum, qui vita functi essent, notulam ad se mitti curabat, qua accepta, decretis lege nostra sacrificiis eorum animos expiabat. Seminarium illud, de quo superius di-

ctum est, cum ædificaret, nihil, post Urbis suæ utilitatem, præterea se cupere affirmabat, quam ut Niciensibus monumentum Ordinis nostri relinqueret non contemnendum. Ex quo illud ipsum redit, quod paullo ante diximus, nostrum magis, quam suimet fuisse studiosum.

Verum hæc castimoniæ, modestiæ, mansuetudinis, patientiæ, charitatis, ceterarumque virtutum, quæ in eo claruerunt, argumenta, Pietatis potissimum, Religionisque in Deum suæ perpetua exercitatione cumulavit. Etenim in Deum semper, resque Divinas sic animum, cogitationemque defixerat, ut Deum ipsum intueri præsentem sibi, aut Comitem videretur. Nihil habuit familiarius iis verbis, quæ omni ferme sermoni interserens, *Amo Te*, *Deus mi*, *Mi Deus*, *adoro Te*, gallica plerumque lingua proferebat. Atque is plane videbatur Deo Vir plenus. Tanta aspirandi ad ipsum contentio, tanta inerat de eo loquendi gratia, ac promptitudo. Siquidem nemo ad dicendum sacris de rebus fuit eo paratior, qui quamvis optimorum librorum lectione uteretur, tamen sæpe vel ex tempore, nullo negotio, concionabatur. Quam facilitatem perpetua ferme meditandi Deum, Deumque alloquendi consuetudine fovebat in dies magis. Etenim cum dubia adhuc luce evigilasset, tres saltem horas divinis rebus meditandis, precibusque fundendis dabat. Tum sacro faciundo comparabat se se; atque hoc tanta religione exequebatur, ut divinum aliquod spirare videretur. Accidit aliquando, cum gratias ageret eo peracto, ipsum ut sensus omnis relinqueret, facieque splendesceret: quod quidem duo deprehendisse se testati sunt ex ejus familiaribus Viri præcipui. Quidquid a ceteris occupationibus vacuum

cuum supeIesse, perpetua precatione transegit: de quo & superius dictum est. Niceæ inclinata jam die, negotiis, ac sermonibus eorum, qui audiri postulavissent, exactis, tum familiaribus, famulisque dimissis, in sacellum ad duas, tresve horas se recipiebat, & quo animum in supernorum contemplationem liberius abderet, jubebat nullius postulatione se evocari. Sed cum interdum Senatus Niciensis Præses admitti peteret, non videbatur tantus Vir posse cum dignitate dimitti. Tum famulus Recrosium evocaturus, eundem in genua nixum, rubenti facie, ac plane sensibus destitutum quamsæpe reperiit, nec nisi magna voce interpellatum, excussum vi, ac dimotum, ad semet revocabat. Tum expallescebat, nec nisi aliquanto post valebat eloqui; quod quantam passus esset alienationem, facile significabat: Atque hoc interdiu. Quandoque etiam precationi totam noctem æquabat. Neque cogitationem minus, quam spem omnem, in Deum Recrosius perpetuum transtulit. Nihil arduum suscepit, a Deo non auspicatum; quod cum multis probavit, tum eo potissimum, quod graviores litteras altari super scribere consueverat. In omnibus præterea, quæ ad Divinum honorem attinent, fuit in primis solers, atque studiosus. Nullam, non gravissime ægrotans, a Sancto Sacrificio agendo diem abstinuit; quare non eum iter, non lassitudo, non loca minime commoda, aut sacella quamvis campestria, ac paullo horridiora, ab illo unquam instituto prohibuerunt. Ad persolvendas Dei laudes nunquam a *Choro* abfuit, non graviter impeditus. Id ipsum Niceæ in more habuit; atque initio quidem quotidie; deinceps festis diebus, ne gravior *Canonicis* esse videretur. Sacrum agebat Pontificio ritu diebus celeberrimis,

rimis. Fana, quotquot rite initiata haud essent, dedicavit. In his D. Pontii Templum, cui & libras quater mille præbuit, cujus pecuniæ redditus in sacram supellectilem, alternis annis, puellæque dotem erogarentur. Noctem Dedicationi præviam, prisco more, semper evigilavit.

Singulari item fuit in Deiparam animi devotione, quam ab Adolescentia hauserat, ut innuimus; atque hanc miris officiis semper excoluit. Cum Nicææ Seminarii ędificium moliretur, ædiculam constituit, in qua Adolescentes, ibidem instituendi, eandem venerarentur. Cujus quandam Imaginem advehi Mediolano curavit; de qua præstat nonnulla hoc loco dicere. Est Modoetiæ in Collegio nostro Imago quædam insignis, domestico in Sacello locata, in quo multa agunt Adolescentes nostri, qui primo ibidem Ordinis tirocinio exercentur. Hæc, præter picturæ pręstantiam, ac dignitatem, eo magis inclaruit anno MDCLXIII, quo cum Galli Milites Oppidum illud universum popularentur, Collegiumque nostrum prædando ingressi essent, miro nobis præsidio extitit. Etenim cum in eum locum nostri omnes precabundi se recepissent, eoque Milites penetrare aggrederentur; tamen patentibus licet januis, vi quadam repulsi, etsi nitentes non valuerunt. Hujus igitur Iconis, in quam mire se affici sentiebat Recrosius, exemplum curavit exactissimum pingi. Quod cum esset adlatum, in cubiculo suo retinuit, cum nondum ædicula in Seminario satis esset aptata. Hac coram fundebat preces singulis noctibus, & multas vigilabat vel ingenua nixus, vel flexo genu calcaneis insidens, quibus in vigiliis eas noctes maxime transigebat, quæ aliquam ejusdem Virginis anteverterent celebritatem.

Vul-

Vulgavit ipse præterea factum Modoetiense, quo in Deiparæ obsequium, & clientelam facilius suorum animos inclinaret. In ea pariter, spem suam omnem, & tutelam collocaverat, eique se in dubiis, ac difficillimis rebus enixe admodum commendabat; neque vero Divinæ ei Matris præsidium defuit: Atque hoc illud ipsum testatur, de quo meminimus, cum Romanum ejus iter describeremus.

Recrosius hæc inter cum insenesceret, ab humanarum in dies rerum studio eo magis alienabatur, nihil nisi mortem cogitabat. Anno itaque MDCCXXXII. ineunte quidquid habebat nummum ita distribuit, ut præter ea, quæ ad quotidianum usum requiruntur, sibi nihil superesset. Scuta enim Monachis D. Pontii octingenta largitus est, de quibus meminimus; ducenta item paullo ante deposuit, IV. scilicet Kal. Januarias in Cadaveris sui Vercellas, cum fato functus esset, translationem; nam ea die voluntatem hanc suam edixit, testamentumque hac una super re condidit. Igitur cum Regionem omnem iterum lustrare decrevisset, VII. Kal. Maji iter ingressus est, uno Comite delecto, Viro prudenti in primis, ac Religioso, unoque famulo a pedibus, ne impendio cuiquam esset, decreta insuper parciori, quam alias, mensæ ratione. Discedentem, ferunt, sic cum quibusdam fuisse locutum, ut se minime rediturum significaverit. (1) Eum itaque, cum jam Lantuscam venisset, hinc vero paullum affectus Bolenam versus, vicum bidui Nicea dissitum, discessisset, descendentem ex equo violenta febris corripuit, qua tamen neglecta, nihil eorum omisit (ne concionem quidem), quæ agere

(1) Pridie Idus Majas.

gere in eo munere consueverat. Omnibus vesperi absolutis, *nunc in lectulum recipiamus nos*, inquit; atque inde decubuit, febri multo magis ingravescente.

Sed operæ pretium est, cubiculum ejus, lectumque describere. Hoc duplici fultum assere, paleis fartum, culcitaque duriori. Cubiculum locus quidam præstitit oblongus, ad bombycum opus, pullosque alendos adhibitus, fenestris, non postibus, non papyro quidem insertis. Pellionis Curio, quem sibi in ea lustratione locorum socium adhibuerat, Vir solers cum Antistitis morbum videret ingravescere, pleuritide enim acutissima laborabat, curavit e pago quodam proximo Medicum accersiri, [Bolenæ Medicus deerat] qui quidem postridie vesperi, alio nomine admissus, cum se Medicum deinde professus esset, ejus vix assentientis curationem suscepit. Etenim cum se ipse Recrosius semper maxime despexisset, eandem ferme suimet valentis, ægrotantisque rationem habere consueverat; quocirca & ea initio dissimulatione, & suasione aliqua fuit utendum. Subridens Recrosius, *Honeste*, inquit, *& cum dignitate moriamur*; consensitque & sibi arteriam explorari, & sanguinem mitti, qui quidem ter ea nocte e vena est ipsi elicitus ridenti, nec sine festivitate, urbanitateque aliqua, ut assueverat, colloquenti. In ceteris, cum primum sanguis mitteretur, isque vitiatus, affirmante Medico, appareret: *Antistites*, inquit, *miseros, quorum sanguis facile vitium trahit! Atqui mihi privato homini, & in mea Congregatione viventi sanguis integer fuit, & verus*. Mane postero certum hominem ad Urbem misit, & Alexandrum Cervium Sacerdotem familiarem sibi, atque intimum accersivit. Is, qui & Antistitis sui periculum, & loci ejus inopiam facile intelli-

telligebat, duobus cum Medicis magno itinere Bolenam postridie venit sub vesperam. Eum Antistes non hilari minus, constantique animo excepit. Sed qui oppidanum Medicum vix admiserat, paullo in urbanis duobus videbatur fore morosior, nisi Cervius summorum Virorum, Præsidis nempe Niciensis Senatus, Urbisque Præfecti jussu, adjunctos sibi fuisse simulavisset. Quorum, ut credebat, officiis, ne se Recrosius ingratum præberet, tum se iis curandum dedit. Ceterum non sufficere modo, ajebat, verum & supervacaneum esse unum sibi. Tres nihilo valere pluris: nihil eo perfici, nisi ut si qua inesse morti dignitas potest, ea sibi tam sedulo officiorum studio conciliaretur.

Sed Medicis, tribus licet, frustra nitentibus, nihil morbus remisit. Dimidia ante diem Dominicum nocte, qui fuit XIV. Kal. Junias, famulum advocat, jubetque Cervium non procul hospitantem acciri. Interea surgit ipse e lectulo solus, ac semet induit probe, Linea, Birroque, ac sacram super his Crucem, Stolamque collo circumdatus, genibus flexis nititur medio in cubiculo, nullo adjumento fultus, scamnumque constitui imperat prope se. Mirum est, advenientem Cervium quanta incesserit admiratio. Suspicatur, Antistitem vi morbi desipere. Hortatur in lectulo ut decumbat; noxium vel in primis & periculosum fore, consistere eo loci. Frustra omnia. Affirmat Recrosius persentiscere se mortem, velle omnes præteritæ vitæ culpas fateri. Tum Cervium in eo scamno sedere jubet, quod sibi fecerat admoveri. Obnitenti nihilominus huic, & lectulum suadenti, *Sacrum*, inquit, *Antistitem non decet Sacramenta in lecto jacentem suscipere*; neque minus in proposito perstitit. Igitur cum omnes anteacti tem-

po-

poris labes, flens plurimum, ac suspirans expiavisset, tum nihil dimotus Sanctissimum Christi Corpus adferri jussit. Quo per loci Curionem allato, ac tabula super decenter instrata locato, tum Recrosius elata voce precem fudit religiosissimam; vota, quæ Congregationem ingressus, pollicitus fuerat, instauravit, eam Catholicæ fidei formulam, quam initiandi Antistites jurejurando confirmant, eadem vocis, animique constantia protulit; aliaque adjecit multa, quibus omnium animos ita commovit, ut nemo non effuse lacrymaretur. Dein Sancto eo Viatico munitus, nihilo in genua minus constitit gratias agens; ac demum vix lectulo se dedit iterum. Sacras vero cum vestes exueret, Crucemque Seminarii Moderatori largiendam, se mortuo, dedisset; *hunc vero tibi*, inquit, *annulum do, Cervi, benevolentia in me tua, meæque in te monumentum*. Tum ipsi quædam commendavit gravissima, in quibus, Seminarii opus ne se mortuo dilaberetur, vehementius rogavit. Hinc sibi deinceps neminem, nisi divina, loqui vetuit. Ipse se in Deum, Divinorumque cogitationem defixit: & quamvis sopore quodam captus identidem videretur, non erat tamen ille sopor, sed perpetua cum Deo consuetudo, & locutio. Quod ipse accedentibus, dormientemque existimantibus Medicis professus est se agere, ne a divinis distraheretur. Quocirca aut Sacros Davidis hymnos recitabat, aut familiaria illa sibi verba: *Mi Deus amo te*, *Mi Deus adoro te*: illudque Apostoli: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo*, & alia hujusmodi amantissime recitabat. Sæpe etiam Deum, Deiparam, Sanctum Paullum coram alloqui videbatur, eaque pronuntiabat, quamvis submissa voce, quæ nemo, advertens animum, non intelligeret.

Diem

Diem Dominicum hac ratione cum transegisset, Pellionis Curio itineris Socius, hortari Antistitem, sancto ut oleo inungi vellet. Antistes, quasi per jocum: *Nimium vero maturius. Meam si quis infulam cupit, ei dicito, biduum ut expectet saltim. Sed extra jocum*, inquit, *monebo adhibeatis id mihi, cum primum labefieri magis me persentiscam.* Quam ob responsionem, mirabantur omnes tanta animi præsentia, & alacritate esse, in tanta moribundi corporis infirmitate. Itaque & alterum deinceps diem quieti illi, soporique suo dedit. Nocte postera adferri jussit oleorum vascula, quæ in ea, ut mos est, peregrinatione detulerat, librumque Sacramentis administrandis accommodatum, quem *Ritualem* dicunt; ex quo ipse libro, Alexandrum Cervium, quoniam ejus unctionis administrandæ se imperitum, rogatus, affirmaverat, diligenter docebat, & sua ipse manu gossipium aptabat in globulos. Sed Cervio, qui nimis Recrosium amabat, animi deerant, viditque Præsul se in eo nihil proficere: Quare Curione ejus loci accersito, sancto demum oleo roboratus est. Tum Christi e Cruce pendentis imaginem cepit, atque in hanc intuens: *Heus*, inquit, *Alexander, ad Deum eundum est. Ad Deum pergimus. Pergimus ad Deum.* Quæ gallicis verbis sæpius tanta cum hilaritate repetebat, ut nemo non intelligeret, nihil in morte iis esse terrificum, qui Deo se fruituros brevi fore confidunt. Verum in eo Domini e Cruce pendentis adspectu, ejusdem imitandæ mortis studio, exarsit Recrosii animus vehementer. Etenim die primum illucescente, pulvillum sub pedibus sibi ut ponerent, rogavit; quod facturi cum interrogassent, ecquid prodesset? respondit: *Memoria suggeret Domini morientis ima-*

 gi-

ginem, cui agone laboranti nonnulli ferunt subjectum fuisse pedibus asserculum, quo pondus corporis paullum sustentaretur; pulvinum peto a vobis, ne mihi petenti asserem irrideatis. Sed pulvillum cum vellent supponere, in ea loci inopia pulvillus deerat; quare pannorum involucro eum sunt imitati: Quemadmodum & bono Prȩsuli, cum aliquid cibi caperet, fulcri loco, collectæ vestes, bulgæ, vidulique, tergori subiiciebantur. Neque multo post tribus Medicis advocatis, sic eos humaniter allocutus est, ut nihil magis: Agere se illis gratias, quod tanta industria vitæ suæ consulere studuissent: Ignoscerent, si quid minus eorum voluntati obtemperasset. De se vero quoniam actum esset, rogare ut abscederent, ne, ejus caussa, diutius incommodo eo loco gravarentur: Non defuturos, qui eorum operis in Urbe mercedem rependerent: Se quidem pro ipsorum, familiæque eorundem incolumitate a Deo Optimo Maximo deprecaturum. Quibus verbis eorum animos ita perculit, ut nemo præ lacrymis loqui valeret. His discedentibus, Cervio committit, ut sibi eas preces adhibeat, quas animi vocant commendationem. Sed flenti, atque ejulanti Cervio vox deerat; cui Antistes: *At tibi*, inquit, *fæmineus, Cervi, inest animus*; eumque frustra erigere conabatur. Alius quidam Sacerdos, qui rei intererat, precationem aggressus est. Respondebat Recrosius clara, distinctaque voce, eratque ejus in respondendo enixa virium, animique contentio. Hic pariter Sacerdos sic est commotus, ut, præ fletu, verba non satis efferret, præteriret etiam multa, quæ Pastor optimus aut supplebat, aut emendabat. Huic precationi aliam adiici voluit, quæ homini, cum primum spiritu defectus est, adhibetur: Se vero ipse Cadaveris instar composuit totum.

Ejus

Ejus igitur mors postero die sub meridiem expectabatur, quæ Christi in Cœlum ascendentis celebritati prævia eo anno fuit MDCCXXXII. Sed res cessit præter expectationem. Etenim sub meridiem cum domesticos ac familiares, ceterosque omnes, qui eum ab Urbe convenerant, advocasset, atque his gratias ageret, veniam ab ipsis postularet, monitis sanctissimis confirmaret; tum Cervius, ne eorum, qui aderant, animi nimium afficerentur: *Memini*, inquit, *mi Præsul, illud a te sæpe commemoratum: Si ea tibi luce moriendum foret, qua Servator hominum Cœlos subiit, fore id tibi quam acceptissimum*. *Utique*, respondit Antistes: *Atqui*, Cervius reposuit: *Hac, ad quam venimus, est ei dies proxima*. Recrosius sereno vultu: *Agitamus hodie vigilias, cras festum agendum est. Non hodie quidem, cras vero moriar*. Quæ cum protulisset, consuetæ precandi, alloquendique Deum rationi diem reliquam, noctemque se dedidit, cujus & aliquam partem obdormiscere visus est. Mane autem quasi evigilans: *Jam*, inquit, *frigore pedes torpent: Vix hora ad vivendum sunt reliqua*. Quo Cervius audito, cum pedes ei vix permittenti paullo tentasset; quemadmodum affirmaverat, esse comperiit. Horis post aliquot: *En sudores mortis; friget, atque humet caput*, ait; eumque Medicum vocari mandavit, quem primum admiserat (etenim duo reliqui Niceam pridie redierant), interrogavitque morsne instaret? Cui dissimulans Medicus, in Dei potestate posita esse omnia, respondit. *Lepide quidem*, subdidit Recrosius, *Quis hoc nesciat? At mihi aliquid ex artis vestræ præceptionibus respondeto*. Paucæ, ait Ille, supersunt horæ. Tum Recrosius quasi faustissimo accepto nuntio: *Heus*, gallice, *Heus ad Deum, ad Deum imus*. Vocavitque famu-

lum a pedibus, ceramque hiſpanicam expedire, & umbilico liquatam poſt mortem juſſit affundere, quo fæces continerentur, neque ulla Cadaver ejus turpitudine vitiaret quidquam. Dein cum quartam circiter horæ partem ſumma animi contentione peroraſſet, pectore vero ſuper quaſi lapidem graviſſimum ſentire ſe præſenti Medico affirmaviſset, paullo poſt ſubridens, atque in Cervium intuens, *Vale, Alexander*, *Ad Deum pergo*, dein famulis, *Valete pueri*, iterumque Cervio, *Pergo ad Deum*, dixiſset; elata interim, ut potuit, beneprecantis in modum dextera, in his verbis, nullo agone conflictatus, ita ſpiritum ſupremum traxit, ut non mori ipſe, ſed in jucundo quodam ſermone conticeſcere videretur.

Hac ratione Vir ſuaviſſimus, ac ſanctiſſimus vivere deſiit XI. Kal. Junias Anno MDCCXXXII. die illa celeberrima, qua Reparatoris Domini adſcenſum in cęlos Chriſtiano ritu eo anno memorabamus, die, quam ſibi, ut meminimus eſse poſtremam exoptaverat, annos natus LXXIV, menſes VI, dies XXI, cum Rem Sacram Niceæ adminiſtraſset annos IV, menſes VIII, dies tres. Cujus mortis hiſtoriam etſi non ſim neſcius quibuſdam viſum iri paullo longiorem, quod particulatim multa ſim perſecutus, quæ & quibuſdam fortaſse leviora videbuntur; ii tamen æqui, bonique facient, qui nobiſcum animadverterint, nihil hominum magis intereſse, quam fauſtiſſimam aliquando oppetere mortem diſcere; nihil item omnium mortalium opportunitati accommodatius uſuvenire poſse, quam eas, cum ſuppetunt, ſupremum obeundi diem quaſi artes proponere, quibus non ad mortem comparare nos modo, ſed eam propeludere, Religioſiſſimi Viri, & conſcientia freti recte

fa-

factorum, & spe præmiorum fulti, & mira quadam alacritate donati, in postrema illa conflictatione nos mirifice docuerunt. In quibus si Recrosium enumerem, non ero audentior, cum ipsius vitæ, mortisque ratio nihil, ut edidimus, præbeat non in primis religiosissimum. Ad historiam redeamus.

Cadaver ejus ita curari Cervius meditabatur, ut Vercellas, quamvis incalescente aere, esset non incommode transferendum. Itaque & Chirurgum, ad id secandum, Lantusca evocaverat, & aromata comparatum ad Urbem miserat. Ad eum Sacerdotes veniunt, audita Antistitis morte, proximis e pagis multi: Sed in primis Bolenæ Curio cum Vicanis rogant ne efferri illud renuat: Justa se Optimo Præsuli, dum cetera comparantur, facturos. Cadaver a meridie curatum iri: Elaturos in Templum, cui quidem locum adjectum esse affirmabant, exenterando corpori quam aptissimum. His omnibus, quoniam nihil subdolum inesse suspicabatur, morem gerere non modo non renuit Cervius, verum e re esse duxit. Sed alio spectabant nonnulli, atque videri vellent. Ducto enim funere, justisque sub meridiem absolutis, cum Sacerdotes ceteri recessissent, propere admodum Cadaver, Curionis jussu, ut putatum est, plane integrum, & Pontificio ritu, ut erat, vestitum, arcę cuidam populeę festinanter dolatæ injectum est, ac telluri infossum, solo super arcam lateribus, calceque instrato. Etenim Corpus illud sibi fore thesauri instar arbitrabatur, propter summam Recrosii virtutem, quam erat in ejus potissimum morte admiratus. Cervius itaque cum frustra Templum ingredi, frustra Curionem, qui, humato Antistitis corpore, consulto discesserat, frustra pagi illius Capita exquisiisset, re tandem comperta

sub-

subirascens, ac dolens Niceam redire coactus est. Sed ab ea Recrosii Vercellas transferendi sollicitudine nunquam destitit. In id Nostri sic nisi sunt, ut, Regia auctoritate interposita, decretum fuerit, illud opportuno esse tempore deducendum.

Igitur anno postero MDCCXXXIII., post menses amplius undecim; cum Cadaver ita reperiundum putaretur, ut absumptis carnibus, ossa facile, & cineres, ceteræque ejus exuviæ essent colligendæ, Joannes Cervius, Alexandri superius memorati Germanus Frater, Recrosii quondam a secretis, Bolenam mandato Fratris discessit. VII. autem Kal. Majas cum effossa tellure arcam erui, atque aperiri fecisset, repertum est Corpus incorruptum prorsus, ac probe integrum, vix tantum extrema nasi parte paullo vitiata, quam asser arcæ superior vehementius compresserat: plane ut omnes lineamenta oris, & pristinam ejus formam non secus agnoscerent mortui, quam viventis. Sed cum Bolenenses pignus illud carissimum non sine animi dolore dimitterent, illud rogaverunt saltem, ut avulsum a se, & abscedens, pro ea, qua semper Recrosium complexi fuerant charitate, supremis ne prosequi officiis prohiberentur. Quorum pietati indultum est. Corpus e capsa sublatum, expositum eminenti loco, facibus multis circumdatum, sacrisque christiano more officiis, in summa hominum illorum frequentia, rite honestatum. Homines illi, præcipiti quadam pietate abducti, Cadaver venerari, flexo adorare genu, manus tanquam ad religiosam rem admovere: vitiare tamen ipsum cum non auderent, vestimenta rescindere frustillatim; quare hæc, ad dimidium crus usque, detruncaverunt. Cadaver igitur cum diem ferme integram patuisset, inque arcam ad transfe-

ren-

rendum aptiorem, conditum, ac jure obſignatum eſſet, tum eſt dies ſeptem, pluvio cęlo, multimodis, mulis nempe, carriſque, & bajulatoribus, pro viarum diver. ſitate, Vercellas prope tranſductum. Itaque in Benedictinorum Cęnobio, quod inde mille circiter paſſuum diſtat, quamvis humili quodam, atque humido loco, duos amplius menſes, depoſitum fuiſſet, quoad ſcilicet honeſtiſſimum funus Vercellis compararetur, tamen XII. Kal. Sextiles cum noctu, mira omnium ordinum frequentia funus manente, faceſque geſtante, inlatum eſſet, non ſecus integrum repertum eſt, atque ante. Hinc in noſtrorum Templo, pegmati impoſitum eſt ſublimiori, obductumque funalibus, ornatis probe parietibus, Templique foribus elogio impendente. Juſta ei biduum, urente Leone, perſoluta ſolemni ritu, non ſine funebri, ut mos eſt, laudatione. Tanta fuit hominum frequentia Cadaver illud, quatuordecim poſt menſes, nulla ex parte vitiatum, non intueri modo, ſed contingere, & attrectare cupientium, ut militibus cuſtodiendum fuerit. Multi præterea illud exoſculari, coronas, ut ajunt, admovere, & alia id genus obſequia præbere, in quibus ne nimium imprudentius ageretur, e Templo in ſacrarium id recipere, viſum eſt, e re eſſe. Verum in magno illo æſtu, quem ingens populus, crebræque faces in Templo ipſo vehementius augebant, quamvis Cadaver ſic efferbuerit, ut multas deinde poſt horas, cum Periti Viri ad id ſcrutandum accerſiti partem omnem diligentius contrectarent, paullum adhuc calentes humeros deprehenderint; neque tamen graviter oluit, nec vitii quidquam fecit. Quale autem repertum fuerit, quoniam ex Medicorum teſtimonio conſtat, cujus quidem, ſcripto dati, exemplar eſt apud nos, ex eo libet

pau-

pauca subiicere, quæ neque Rei, me quidem Judice, neque Legenti erunt incommoda. Proferam eamet verba, quæ Petrus Ignatius Guala *Protophysicus* Vercellensis anno MDCCXL. die VII. Septembris, propria manu firmata, ad me dari curavit. Sunt autem, missis iis, quæ exordii cujusdam rationem habent, hæc ipsa.

„ Vidisses, jucundo sane spectaculo, Cadaver in-
„ dutum veste, indusio, calceamentis, ac bireto,
„ quibus uti solebat inter vivos, incorruptis omnibus,
„ nec aliqua ex parte deficientibus, nisi infra genua
„ religiose excisa tunica a Bolenensi turba (ut a te-
„ stibus fide dignis mihi traditum). Manus simul com-
„ positas, nullo licet vinculo coercitas, ternis in utra-
„ que phalangibus completas vidisses, colorem faciei
„ subfuscum, os semiapertum, barbam variegatam
„ in mento, nasum deficientem qua parte desinit os,
„ incipitque cartilago, permanente tamen externa
„ summitate cartilaginis ejusdem cum utraque ala,
„ & pinnis; deficit penitus dexter oculus; bulbum
„ tamen exsiccatum servat sinister; qua parte præ-
„ sertim ab inferiori mandibula usque ad calvariam
„ caro palpabilis, & intacta cum propriis integu-
„ mentis observatur; ex opposita vero (dextra vix)
„ erosa apparent aliquantisper integumenta; qua de
„ caussa plurimorum sanguiferorum vasorum ramifi-
„ cationes intuentur; Jugularis externæ vestigia sini-
„ strorum in collo se manifestant, collumque flexi-
„ bile. In occipite, & fronte apparet modica inte-
„ gumentorum erosio; nec deficit capillis prope aures,
„ & in eodem occipite; permanent vero supercilia.
„ Linguam exsiccatam licet, mobilem tamen in sua
„ radice observavi, intactamque penitus, exsiccatas-
„ que aures vidi, sed indeficientes; quod tamen

„ mihi

„ mihi carius, dulciusve fuit (ne a capite discedam) „ erat contemplari eadem lineamenta, & vestigia „ dilectissimi Præsulis, præsertim ad latera, ex quo „ situ Recrosium quisque agnoscebat.

„ Nimius profecto essem, si singulas ejusdem „ corporis partes adumbrare vellem, easdemque ti„ bi, prout jacent, exponere; at sat esto testimonium, „ quod tibi perhibeo, idem in quacunque sui par„ te (excepto supradicto modo descripto capite) „ quod admirationem adstantibus intulit, integrum, „ intactum, articulatum, flexibile in collo, hume„ ris, & lumbis, nullamque erosionem, putrefa„ ctionemve passum, licet acuto morbo obierit, „ ut supra innui, infimo ventre intumuerit post o„ bitum, nec intestina cum adjacentibus partibus, „ utpote facile corruptibilia, extracta fuerint. Dam„ nabile tamen esset silentium, si cuncta, quæ ob„ servavi, prætereunda censerem: quare pauca ad„ dam expositis, non injucunda. Et primo, nivea pel„ le vestitum Cadaver vidi, excepto dorso, in quo „ & rubicundus, & lividus, & albus apparet co„ lor, præsertim in sterno, & abdomine, quod mi„ randum magis; & licet exsiccata pluribus in lo„ cis; nihilo tamen minus flexibilis, ac palpabilis „ erat: quinimo in hypochondrii dextri regione, „ & scapula dextra rubellus inspicitur color.

„ Genua tumefacta erant rubro donato colore, „ circa quæ communia cedunt integumenta, ac ve„ stigia, tum supra, tum infra ligamentorum appa„ rent, ac sub plantis pedum caro muscularis ex„ siccata, vestigia asprarum caligarum præbet, om„ nisque postica pars figuram planam tenet. Exu„ tum fuit, ut alio indusio, aliave tunica vestire-

„ tur; cesseruntque ad id brachia nullo detrimen-
„ to; stabatque Cadaver dorso fulcitum, pariete,
„ aut scamno. Hæc quæ propria sorte vidi, & ex-
„ ploravi expono &c.„ Guala hactenus.

Cadaver hujusmodi, novis indutum vestibus, arcæque ligneæ inclusum, in eo sepulcro Vercellis conditum est, in quod nostrorum corpora deponuntur, loculo quodam, in pariete ad id ante cavato. Injectum est arcæ, ad memoriam posterorum, descriptum in membrana, inclusumque vitro, Vitæ, morumque ejus Breviarium quoddam a Jacobo Antonio Fabagrossio erudito Viro, & Collega, cum eloquentiam Mediolani profiteremur, quondam meo, latine compositum.

Fuit Recrosius statura mediocri, colore albicanti, cęruleis oculis, naso decenti, lata fronte, calvo capite, vix ad occipitium, atque aures capillato: ore ad summam benignitatem composito, incessu ad singularem modestiam temperato, sermone jucundissimo, moribus sanctissimis, ac suavissimis. Doctrina, ac Religione præstitit singulari. Itaque & opera quædam reliquit, in quibus ex virtutes emicant. Sunt autem Gallico Idiomate

Sentimens de Componction. Lugduni 1709. in 12.

Instructions Chrétiennes a l'usage de Missions. Anecii 1712. in 8.

Fœdus Amoris, & Timoris &c. Mediolani 1719., & 1722. Tom. 2.

Synodus Niciensis habita anno 1728.

Supersunt in MSS. *Exercitationes Spirituales &c.* italica lingua, quæ Mediolani in Collegio Sancti Alexandri servantur.

Quæ

Quæ a nobis de Recrosio narrata sunt, hausimus omnia a certis monumentis eorum, qui pro temporum diversitate, alii aliis locis sunt cum ipso versati. Quæ quidem scripto accepimus. Acta item Collegii Vercellensis consuluimus, quæ multa subministrarunt. Quædam & nos vidimus, atque a Testibus fide dignis audivimus, quos sumus avide admodum sciscitati. Nec deest Cadaveris, quale post menses ab obitu quatuordecim repertum est, descriptio illa, cujus bonam partem invehimus in hanc scriptionem. Mortis narrationes duplas habuimus, alteram paucos post eum mortuum menses, alteram anno MDCCXLI una cum accurata rerum ab Antistite nostro gestarum descriptione, ab anno MDCCXXVII ad mortem usque, ad nos datam ab eo ipso Alexandro Cervio, quem sæpe commemoravimus. Vivit Cervius adhuc, fuitque Recrosio familiaris Sacerdos, *Capellanus*, ut ajunt, dein a secretis, tum *Cancellarius*, apud quem suam expiare conscientiam cum sæpe ante, tum moriens voluit. Marcus item Zaninus in nostra Congregatione inter Fratres, quos *Conversos* dicimus, adhuc superstes, fuit Recrosii gestorum testis oculatissimus, quicum annos vixit quatuordecim, undecim nempe Vercellis, tres Niceæ, ad annum scilicet MDCCXXX, quo valetudinis caussa inde abscessit. Hominem hujusmodi Recrosius amavit plurimum, quod ipsum est fidei ejus gravissimum testimonium. Ab hoc item scriptum quoddam accepimus, simplex quidem, sed candidum, & accuratum. Optimum insuper monumentum Litteræ præbuerunt a Clarissimo Præsule Carolo Francisco Cantono datæ, qui proximus, annum quamvis post nonum, in Sacra illa Niciensis Urbis procuratione Recrosium excepit,

vivitque in præsens: quæ quidem Litteræ apud nos extant, & summam continent tanti Viri commendationem. Monumenta hæc omnia, quibus usi sumus, in Tabularium Congregationis nostræ asservanda tradidimus, quibus & posterorum memoriæ, fideique nostræ consultum sit.

Atque hæc sunt, de quibus monemus te, Lector, ut quanti fieri velimus narrationem hanc nostram, plane omnes intelligant. Hanc quidem evulgare multo ante (1) meditabamur, eaque collegimus omnia ferme, quibus nunc usi sumus, monumenta; sed tum aliis curis impliciti cum essemus, continuimus a scribendo manum, quam nunc, etsi nihilo minus vacui, admovimus tamen, finemque hujus Vitæ conscribendæ, Deo auspice, tertio tandem mense fecimus.

JOAN.

(1) Anno MDCCXLI.

(VI)

JOANNES PETRUS NICERONUS

LUtetiæ Pariſiorum Joannes Petrus Niceronus veteri, illuſtrique familia natus eſt (1). In Collegio primum Mazzarino, dein de *Pleſſis* bonis litteris eruditus, in altero Rhetoricam didicit, in altero minores artes. Quibus tanto anteceſſit Condiſcipulos, ut facile intelligi poſset, pari modo ſuperaturum omnes in ceteris diſciplinis. Sed optimo, quo a natura inſtructus erat, ingenio, & litteris, quibus fuerat jam exculcus, cum pietatis potiſſimum, virtutiſque exercendæ ſtudium adjunxiſſet, facile & fluxarum rerum inanitatem, & animum ab earundem illecebris ſejungendum eſſe, intellexit.

Habebat Niceronus in noſtro Ordine probatum, gravemque Virum, Patruum ſuum, quem ſæpius conveniebat, ejuſque conſuetudine, & moribus plurimum delectabatur. Ut autem facile Adoleſcentes eorum ſe vitæ, ac rationibus accommodant, quibuſcum aliqua aut uſus, aut ſanguinis conjunctione junguntur; ſic Niceronus ob eam cauſſam inſtitutis noſtris adjecit animum, atque eadem capeſſenda ſibi eſſe decrevit. Huic deliberationi Vir ille prudens ſe minime facilem præbuit, quin multa oppoſuit, voluntatiſque ejus, & conſtantiæ periculum fecit. Quibus cum nihil re-

mit

---

[1] Anno MDCLXXXV vi Idus Martias.

mittere Adolescentem, immo inflammari videret; tum re cum Ordinis Moderatoribus communicata, ejusdem postulationibus indultum est. Quare & habitum induit, annum jam natus decimumnonum (1), & solemni post exactum tirocinium sacramento perpetuum se Deo, & Congregationi nostræ devovit (2).

Deinde Montargium in Aurelianensem ditionem, studiorum caussa, translatus, Philosophiæ, ac Theologiæ, ut iis temporibus, cursum confecit. Sed illæ quanquam gravissimæ scientiæ, ac perutiles, non ejus animum abripiebant. Erat enim natura proclivior ad amœniores artes. Qua de caussa fatebatur, se in iis versatum fuisse violentius; utque iisdem erudiretur, quas ceteroqui cum optimas in primis, tum sibi quamopportunas intelligebat, nativam illam proclivitatem sibi coercendam fuisse durius, & reprimendam. Sed tantos, nihilo secius, progressus fecit, ut primam, neque multo post, publice tractandam Moderatorum jussio susceperit. Etenim postquam Lochiis in Thuringia humaniores litteras annum unum edocuit, Montargium revocatus, in eo nostrorum Gymnasio Rhetoricam biennium, Philosophiam quadriennium professus est.

Hic finem docendi fecit (3); nam jussus proficisci Lutetiam, concionandi munus, nova Moderatorum voluntate, aggressus est. Inerant ei oratoriæ virtutes quamoptimæ. Perbene gallice loqui putabatur, litteratiusque quam multi. Cumque, ut ait Cicero, duæ sint in Oratore laudes, una subtiliter disputandi ad docendum, altera graviter agendi ad permovendum, utramque Niceronus obtinuit. Nihil tamen in subtili-

(1) Anno MDCCIV xv Kal. Februarias. (2) Anno postero xi Kal. ejusdem Mensis. (3) Anno MDCCXIV.

tilitate habuit nimis exquisitum ; nihil fucatum habuit, quo detrahi videretur de gravitate. Pronuntiabat praeterea cum venustate tanta, & alacritate, ut animos & delectaret plurimum, & incitaret.

Illud idem tempus litteris, sermonique dedit gentium exterarum ; quibus eruditus adeo est, ut nullus dicatur, cujus quidem in Europa usus viget, sermo extitisse, quo non ipse satis commode uteretur. Cum autem anglico sermoni daret operam, ex eo gallice reddidit librum quendam, tanta felicitate, ut bis eodem anno (1) recusus fuerit. Quae res quantam ejus in utraque lingua praestantiam commendet, nemo non videt. His item graecae linguae studium adjunxit, propterea ut sit affirmandum, ei, in exoticis litteris, nihil plane eruditionis defuisse.

Tanta igitur linguarum notitia praeditus, ad amplissimam omnis generis librorum cognitionem praesidium optimum se adeptum esse intellexit ; illudque moliri coepit, quod multo ante meditabatur. Nam videbatur Nicerono, si opus quoddam ad scientiarum historiam, ad Virorum doctorum vitas, eorumque lucubrationes maxime pertinens evulgaretur, quo omnium gentium Scriptores illustrarentur, eorundem scripta, editiones, censurae, aliaque id genus consentanea recenserentur, futurum id litteris & commodum inprimis, & praeclarissimum. Quamvis enim non ignoraret, singularum ferme nationum Scriptores singularibus libris, sive, ut appellant, Bibliothecis fuisse comprehensos ; in his tamen non acquiescebat ; adeo inerant ei animi alacres, & capaces, ut aliquid multo amplissimum in eo genere & cuperet, & moveret. Illud

(1) MDCCXXIV; est autem Liber = *Le Grand Febrifuge &c.*

Illud etiam incommodi in singularibus Bibliothecis offendebat, quod multæ paullum sint jejunæ, ac perbreves: quædam vero, præsertim in librorum, ut ajunt, *analysi*, ad tædium usque amplificatæ; atque in illis Germanicas, & Italicas; in his Anglicas potissimum annumerabat. Niceronus mediam quandam viam ingressus est, cœpitque opus grande quidem, ac difficile; illud tamen, quod & ejus plane voluntati respondit, neque minus Litteratorum hominum ingenio, omnibus prope numeris visum est respondisse. Illud autem inscripsit: *Monumenta ad historiam Virorum in litteraria Repub. illustrium*: ac Parisiis anno MDCCXXVII, & deinceps multis voluminibus editum est, quæ deinceps enumerabimus.

Nihil hoc opere neque laboriosius, neque accuratius. Infinitos propemodum libros volutavit, Bibliothecas omnes excussit, omnes forulos scrutatus est. Neque in communibus, & pervulgatis Virorum Eruditorum historiis sistendum sibi esse duxit; sed novum aliquod, & reconditum exquisivit. Omnium ferme non Patriam modo, & originem, sed Parentes, horumque nomina, & agnomina, certam ortus cujusque Scriptoris, mortisque diem investigavit, retulitque, solerter in primis, & apposite. Quare & aliorum interdum, qui de iisdem scripserunt, errores, vel in his, quæ nonnullis fortasse videbuntur exigua, emendavit. Specimen sæpe aliquod styli, scriptionisque eorum in historiam induxit: inedita multorum opera enumeravit: singulas omnium operum editiones, quæque in his præstent, accensuit. In his multa industria, & diligentia comparet, multa doctrina. Etenim omnium ipse scripta perlegit, & suum de iis sæpe judicium tulit. Quare hoc mihi in clarissimis

ſimis, quotquot evulgata ſunt, operibus habendum eſſe videtur; quod ſcripta, ad id condendum, lectitanda fuerint prope innumerabilia, Vitæque inſint illuſtrium Virorum mille amplius & quadraginta, neque in his conſcribendis, atque edendis anni effluxerint niſi decem; prorſus ut omnes tantam & in rebus comparandis aſſiduitatem, & in exponendis facilitatem jure ſint admirati.

Equidem ſcio tam grande opus non ſine nævo aliquo fuiſſe productum: non ea deeſſe, in quibus *quandoque bonus dormitat Homerus*. Sed eo eſt Niceronus non modo excuſandus, quo Flaccus ipſe Poetæ illius clariſſimi notam omnem ſuſtulit, *Quod opere in longo fas ſit obrepere ſomnum*; verum eo commendandus magis, quod & omnia, quæ ſibi comperta fuiſſent, errata ſponte emendaverit, & publico edicto profeſſus ſit, quidquid ceteri mendoſum offendiſſent, quod quidem ſibi ſignificare ne gravarentur efflagitabat, ſe eſſe quamlibentiſſime caſtigaturum. Hinc factum eſt, ut poſt ſingulas Tomorum decades prodierit in ſuperiorem decadem Tomus emendationum. Qua diligentia, quamvis non omnem fortaſſis labem deterſerit, ſic tamen ad rem acceſſit, ut nemo, niſi paullo durior, ab eo plus requirat. Opus univerſum Tomis continetur tribus & quadraginta, quorum vivens edidit trigintanovem; reliqui, quos paraverat eo mortuo ſunt promulgati. Uſus eſt facili, & perſpicuo charactere dicendi, cui multam, qui gallice ſciunt, ineſſe affirmant ejus ſermonis ſuavitatem, & elegantiam, qua eum ſuperius diximus excelluiſſe. Niceroni laborem omnium gentium Eruditi Viri complexi ſunt honorifice, in quo & publicam utilitatem perſpicerent, & fidem probarent Scripto-

ris nullo præjudicio affecti, nullo ſtudio devincti. Gallos enim, Germanos, Italos, Batavos, Anglos, Hiſpanos, ceteroſque omnium nationum Scriptores pari cum laude, pari, ſi res poſtulet, cum cenſura propoſuit: quod omnium ferme benevolentiam conciliavit, irritavit neminem. In hoc autem ſuum ipſe ingenium, ac naturam eſt imitatus. Animo enim fuit leni admodum, & ad gratificandum omnibus propenato.

Sed in tanta virium, animique occupatione, quam opus illud graviſſimum poſtulabat, quædam etiam ab eo longe diſſita promulgavit, ab anglico præſertim ſermone in gallicum translata, quæ paullo poſt in ejus Operum numero recenſebimus: Propterea ut vix queat intelligi, qua ratione unus Vir tot, tam diverſa, uno tempore complecti poſſet. Colligebat præterea Scriptorum Gallorum omnium ingentem Bibliothecam. Eorum ſcilicet Vitas, atque Operum indicem criticum. Et quoniam elementorum ordine digerere longiſſimam ſeriem meditabatur, ad expletam uſque litteram C inchoatum opus produxit. Reliquum proſequi morte eſt prohibitus.

Ad tantam colligendi, ſcribendique copiam, quædam ei maximo fuiſſe adjumento feruntur. Primum ſumma in optima ſtudia, quam ſemper aluit, propenſio, & voluntas: Dein nativa quædam ingenii, ſcriptioniſque exercendæ facilitas: mens ad res capiendas, & ordine digerendas maxime apposita: Virorum inſuper, qui eruditione florerent, conſuetudo: Regiæ Bibliothecæ interdiu, noctuque, quemadmodum audivimus, adeundæ poteſtas quædam indefinita: Lectio perpetua, ſtudium indeficiens: Ea demum, quæ fons eſt bonorum omnium, Religio ejus in Deum, & pietas,

tas, a quibus tamen in tanta ſtudiorum occupatione nunquam ſejunxit animum.

Sed illa adeo gravis, ac perpetua in ſtudiis tam diſſitis occupatio ejus valetudinem paullo vitiavit. Propterea enim viſum eſt accidiſſe, ſenſim ut obſurdeſceret. Dehinc vero ſic hebetes aures habuit, ut loquentis vocem paullo exciperet difficilius; quam jacturam & ea moderatione tulit, ut nemo eum querentem audierit; & tanta elegantia diſſimulavit, ut pauci admodum ipſum eo vitio laborantem intelligerent, niſi animadverterent diligentius. Etenim in os ipſum, motuſque loquentium ita oculos intendebat, ut facile verborum ſententias dimetiretur; quo fiebat, ut accommodatiſſime reſponderet.

Hæc ipſa labes illius mortem prænuntiaſſe nonnullis poſt viſa eſt, quam eum morbum contraxit, quo deſiit vivere. Etenim (1) dolore quodam auribus finitimo ad utramque maxillam laborare cœpit, quem primum negligens, nihilo dies duos legendo ſecius, ſcribendoque traduxit. Poſtridie cum eum febris graviſſima adorta eſſet, tantus tumor in malis exuberavit, parotideſque adeo crudeſcentes increbuerunt, ut demum ne Viri quidem peritiſſimi, ſe in eum morbum valere quidquam, profeſſi ſint. Niceronus cum Deum vitæ, mortiſque arbitrum probe noſceret, animum non deſpondit, imo in Dei prorſus voluntate compoſuit. Quare Sacramentis ſanctiſſimis refectus, atque in ſummam perennis vitæ, ac felicitatis ſpem excitatus, poſtridie Nonas Quinctiles Anno MDCCXXXVIII, adſtantibus Fratribus, Virique longiori vita digniſſimi jacturam lugentibus, hilari

 ipſe

(1) Kal. Quinctilibus anno 1738.

ipse animo, efflavit extremum halitum, annos natus tres & quinquaginta, menses tres, dies duos de triginta.

Procero fuit corpore, vividis oculis, alacritatem ejus, ingeniumque significantibus, forma honesta, cultu simplici, neglectoque, quem multa urbanitas, & morum suavitas temperabat. In tanta studiorum assiduitate animo semper æquo, tranquilloque extitit, hilari item sermone, lepore quodam, & urbano sale condito, propterea ut nihil esset ejus allocutione delectabilius. Quamquam Virorum doctrina excellentium familiaritatem in primo haberet pretio, ceterorum tamen consuetudine delectabatur. In cœtu Eruditorum quamvis ipse valeret tanti, ea modestia fuit, ut nihil arrogans præseferret. Vacuum semper ab omni cupiditate servavit animum. Nihil præter libros habuit, quod vehementius desideraret, quorum ingentem vim cum semper versaret, non eam in pluteis servabat, sed aggeris in modum congestam, locaverat medio in cubiculo, quod ei decretum fuerat in hunc usum. Sed neque honoris aucupandi admodum fuit studiosus; atque illud argumento est, quod multis in libris suum ipse nomen reticuit; neque præcipui ejus operis, de quo egimus, auctorem prodidit se se, nisi cum procuso, evulgatoque volumine jam decimo, Monitum illud a Typographo est appositum ad curandas emendationes, de quo meminimus paullo ante.

Sed cum nihil inclarescere averet, ne commotus est quidem cum Conjuncti, Cognatique ejus præclaris honoribus adjectis inclaruissent, de quibus nec loquebatur ipse, neque sibi gratulari aliquem patiebatur. Etenim in Propinquos fuit sic animatus, ut

eos

eos vix aliqua præ ceteris benevolentia complecteretur, raro admodum conveniret, Vir cæteroqui urbanissimus; intelligebat enim, studiorum suorum rationi minimum consentire hujusmodi familiaritatem. Joannis Niceroni e Minimorum Ordine, Mathematici in primis eximii, historiam in suum Opus invexit, ob Viri citius præstantem famam, quam propter eam, quæ sibi cum illo intercedebat, sanguinis conjunctionem.

Ceterum omnium semper opportunitatibus se præbuit paratissimum; aliorum enim, quamvis non amicorum, caussa, laboris, studiique sui copiam faciebat ex animo. Neminem passus est dolere, neminem tristari, cui lenimen, cum posset, aut solatium non exhiberet. Si aliquando cum Adolescentibus ageret, eorum animos ad optimorum imitationem quammaxime excitabat. Ajebat enim, Majorum exempla æmulanda a posteris esse, imo vincenda, si possint. Quare & suscipiebat ipse ardua, & ceteros ad magnum aliquid moliendum cohortabatur. Sic se gerendo, minime mirandum est, & ejus fuisse illustrem vitam, & mortem acerbiorem. Niceroni vita gallico idiomate evulgata est Tomo ejus Operum XL, ex qua ferme omnia detraximus, quæ in nostra hac sunt exposita. Verum & nonnulla didicimus a quibusdam ex nostris, qui cum eo Parisiis versati sunt, quos sumus de hoc percunctati. Ejus meminit Clarissimus Saxius in Historia typographica Mediolanensi. *Memoria ejus ad litterarum historiam* Venetiis recudi sunt cœptæ.

Index illius Operum.

Le Grand Febrifuge, ou Discours où l' on fait voir que l' eau commune est le meilleur remede pour les

les fievres, & vrai semblablement pour la pest. Liber gallice redditus ex anglico Joannis Hanckock, Curionis, & Administratoris Ecclesiæ S. Margaritæ Londini *in* 12. anno 1724. *Bis impressus*. Postremo editus est anno 1730 duobus Tomis *in* 12. hoc titulo: *Traité de l' Eau Commune* apud *Cavelier*.

Les Voyages de Jean Ouvington à Surate, & en divers autres Lieux de l' Asie, & de l' Afrique, avec l' Histoire de la Révolution arrivée dans le Royaume de Golconde, & quelques observations sur les vers à Soye. Volumina duo *in* 12. Parisiis apud *Ganeau*, & *Cavelier* anno 1725.

Mémoires pour servir à l' Histoire des Hommes illustres dans le Republique des Lettres, avec un Catalogue raisoné de leurs Ouvrages in 12. Parisiis apud *Brisson*. Primum volumen prodiit anno 1727, cetera deinceps, ut superius memoratum est. Tres priores Tomi recusi sunt anno 1729, quartus anno 1737, anno tamen apposito, quo primum editi fuerant, videlicet 1728. Tomi omnes tres, & quadraginta *in* 12.

La Conversion de l' Angleterre au Christianisme coparée avec sa pretanduë Réformation: Ourage traduit de l' Anglois: *in* 8. Parisiis apud *Briasson* 1749.

Geographie Physique, ou Histoire Naturelle de la Terre, traduit de l' Anglois de M. Wodward par Nogués Docteur en Medicine. Avec la Résponse aux objections de M. le Docteur Camerarius. Plusieurs lettres ecrites sur la même matiere, e la distribution methodique des Fossiles, traduits ae l' Anglois par le Pere Niceron. Parisiis apud *Briasson in* 4. 1735.

Opera ejus, quæ supersunt in MSS.

Index omnium Ephemeridum ad librorum editiones per-

pertinentium, *quem in suum ipse usum conscripserat*. Volumina plura in 4.

Miscellanea quædam litteraria spissis voluminibus duobus comprehensa *in* 4.

Bibliotheca volans. Volumen ingens in 4.

Bibliotheca Gallica, ad litteram usque *C* expletam.

Tabulæ quædam litterariæ, *ad propriam opportunitatem compositæ*.

Sermones aliquot.

Omnia hæc MSS. gallico idiomate.

PAU-

(V I I)

PAULLUS CIGNANUS

SI aliquis forte eſt, qui ſeverum, gravemque Virum, eundemque facillimum, & officioſum eſſe poſſe vix putet, is, oro, legere ne gravetur quæ ſum de Paullo Cignano ſcripturus; in quo ſic hujuſmodi colligatæ fuerunt inter ſe, implicitæque virtutes, ut difficillimum plane ſit, utra utri præſtiterit, affirmare. Natus hic Mediolani [1], inſtitutuſque liberalibus diſciplinis, omnia extra Deum levia, atque inania eſſe didicit; quare & Congregationi noſtræ dedit nomen (2), & ejus inſtituta ſolemni promiſſione complexus eſt (3).

Modoetia, quo in Oppido tirocinium egerat, Mediolanum vocatus, ibidem Philoſophiam didicit; deinde Maceratam miſſus, Urbem Piceni principem, Theologiæ in ea curriculum abſolvit cum ſumma ingenii, ac morum probatiſſimorum ſignificatione. Erat in hoc Collegio Hilarius de Hilariis longævus ſenex, quanto ætate gravior, tanto pietate, & mira quadam comitate amabilior. Hujus, quem ab ipſo memini & ſæpe, & ſumma cum laude commemoratum, Cignanus ut ſenectutem coluit, ſic imitari ſtuduit adjectam ſanctitati graviſſimam ſuavitatem. Quare non diſſimili ab ſenis illius ſtudio, jam inde ab adoleſcentia,

(1) Die 26. Octobris anno 1671. Franciſco Patre: Matre Magdalena Campagnana. Die 28. ſacro fonte ablutus, vocatuſque Joannes Paullus. [2] Die 13. Nov. anno 1689. qua habitum induit. (3) Die 16. Novembris anno 1690.

tia, superioris vitæ integritatem cum pari facilitate, gravitateque conjunxit.

Informatus omnibus iis scientiis, quæ ad opportunitatem nostram maxime pertinent, Laudem Pompejam in Insubria missus est [1], post annos deinde duos Mediolanum [2], quibus in Urbibus Rhetoricæ artis studia professus est. Valebat autem in ea facultate, ut temporibus illius, non sane mediocriter. Ceterum in iis studiis, corruptam citius illorum temporum, quam nativam ingenii indolem, secutus est. Natura enim habebat satis eloquentiæ, solidique judicii. Neque deinceps, cum ars Rhetorica rite tractari cœpta est, abhorruit a præsenti ratione. Fatebatur enim Adolescentes, hoc ætatis, multo quam ante utilius institui; eosque hortabatur, ne quam nacti essent rite addiscendi opportunitatem, negligerent ipsi, quam ego, ajebat, si mihi Adolescenti data esset, accuratissime suscepissem. Verum cum eo morum candore præstaret, qui in eo vix conspecto, propter summam dulcedinem, mirifice adolescentum animos commovebat, difficile dictu est, an eos litteris, an solida pietate informaret magis. Audivi ego Mediolani Viros sæpe Nobiles, doctrinaque præstantes, qui eo fuerant Magistro usi, tanta Cignanum cum virtutum ejus laude commemorantes, ut quanto eum in pretio haberent, vix dici queat.

In eo magisterio cum summa in omnibus diligentia, ac prudentia emicuisset, factum est anno post id susceptum nono (3), ut Majorum auctoritate Gymnasii universi Præfectus decerneretur. Est illud Mediolanense Gymnasium in nostris florentissimum,

S in

[1] Anno 1697. (2) In Collegium S. Alexandri. [3] Anno 1713.

in quo cum omnes traduntur artes, quæ ad humanitatem, politioresque litteras pertinent, tum Philosophicæ, Mathematicæque facultates rite tractantur, neque minus Theologicæ ad contemplationem divinorum, ad hæresum confutationem, ad morum disciplinam spectantes, separatis quæque classibus, & tractationibus, excoluntur. In hoc Auditorum numerus frequens est admodum, propterea ut locorum amplitudo ipsa tantæ adolescentum frequentiæ sit impar. Instituuntur præterea religione, ac pietate; omnesque diversis pro diversa facultate sodalitatibus excepti, diebus festis ad virtutem diligentissime informantur. Hujusmodi Præfectura cum in omnibus, quæ ad rem scholasticam utcunque pertinent, sita est, tum in iis maxime, qui tenuiores facultates addiscunt, excipiendis, dimittendis, promovendis, corrigendisque versatur. Munus improbum, si levia hæc spectes, atque idem propter Juvenum multitudinem, & cetera, quæ cum ejus ætatis curatione, moribusque regendis conjuncta sunt, gravissimum, ac difficillimum. Id tamen ipse mirifice executus est. Cum enim Cignano incredibilem tribuisset natura gravitatem, eamque placida illa suavitate temperasset, ut erat insuper dignitate quadam oris, atque vocis, sic adolescentes in officio continebat, ut eum & vererentur, & observarent. Et quamvis interdum severitate opus esset, clementi castigatione utebatur, acerbitate in re nulla, nulla in verbis contumelia; quare & adolescentum animos conciliabat sibi, & Virorum, ad quos pueri cognatione, seu commendatione, aut procuratione aliqua pertinerent.

Hoc munus cum anno jam quinto exerceret, nostrorum moderationi in eo Collegio præpositus est. Quod

Quod officium, quanta diligentia, quanta dexteritate sit executus, ex eo licet conjicere, quod ibidem præfecturæ ejus memoria adhuc vigeat honestissima. Ejus jussu magna accessio facta est ædium, in quibus Adolescentes nostri a primo tirocinio recentes, sejuncti a ceteris, in eo Collegio commorantur: qua ædificatione conclave illud adeptum est multum & amplitudinis, & honestatis. Nam cum ante loco neque satis amplo, neque bono uterentur, & infirma quam sæpe valetudine laborarent, Cignanus id habuit remedii quam appositum. Res vero accidit ex sententia. Cetera omnia miro ordine, & accuratione summa exercebantur: nihil ad institutorum nostrorum rationem non exactum diligentissime. Adeo valebat sedulitas ejus, & auctoritas, & humanitas ad omnium voluntates flectendas, & conjungendas.

Hoc regimen, quod invitus susceperat, & a quo abdicare se, pro singulari modestia, multo ante meditabatur, tandem Sigismundo Calco reliquit administrandum, (1) Viro omnibus numeris ad id comparato, quemadmodum in ejus vita dictum est. Ipse autem, Calco postulante, cujus gratia nihil detrectavisset, iterum Gymnasii præfecturam suscepit: qua pari quidem antea ratione, sed paullo longiori tempore [2] administrata, Moderatorum voluntate, sortitus est multo breviorem procurationem. Etenim Imperatorio illi Nobilium Adolescentum Collegio, quod tum nostrorum cura Mediolani florere cœperat, vix Rector datus, cum paucos post menses, coactis Ordinis universi Comitiis, Insubricæ Provinciæ præfectus est.

 Qua-

[1] Anno 1718, cum annos quinque tenuisset. (2) Annos novem, ad annum scilicet 1727.

Quare quanto brevior ea rectio fuit, tanto amissio ejus gravior. Nam quemadmodum auctus fuerat, propter opinionem, quam omnes de eo conceperant præclarissimam, nobilium Juvenum numerus, propter solertiam autem accuratissimus rerum ordo decretus; ita spes erat fore, si perseverasset, ut omnia quamoptimo in dies loco constituerentur.

Sed ejus Provinciæ moderatio Cignanum abduxit, in qua sane quanta esset prudentia, ac firmitate demonstravit, propter nonnullas, in quas incidit, neque leves, difficultates. In eas tamen non sua, sed aliorum voluntate conjectus est. Atque in his quidem ipse tanta constantia usus est, quanta in eo maxima requireretur: cui tamen nisi successit, non per eum stetisse visum est, quo res minus succedere debuissent. In his tamen cum multa auctoritate, gravitateque egit, tum acerbitate, aut offensione animi nulla.

Deposito hoc magistratu, [1] in iis Comitiis, in quibus Marius Maccabeus, Vir clarissimus, adeptus est universi Ordinis præfecturam, Cignanus, eodem Maccabeo proponente, *Assistens* omnium suffragiis delectus est. Hoc nomine quatuor vocantur apud nos Viri gravissimi, qui maximam secundum Præpositum habent in universo Ordine potestatem. Sed ipse ab hoc se honore postridie semovit. Amabat enim privatus vivere, & quanto eum ceteri augere studebant, tanto ipse deprimebat se magis. Quod ut arbitratu suo faceret, profectus est ad Collegium illud Imperatorium, de quo superius memini, easque in erudiendis adolescentibus sibi partes sumpsit, quæ essent in omnibus vulgares, & importunæ. Nam pueris tenuioribus ade-

[1] Anno 1731.

aderat, cum themata, quæ a Magistro acceperant, latine essent reddituri: explanabat vero omnes, si quæ inerant, difficultates, & errata emendabat incredibili sedulitate, atque constantia; quæ in Viro gravissimo, ætateque, & valetudine affecto, tanto erat admirabilior. Id vero summa cum utilitate fecit ingenuorum Adolescentum, qui & morum ejus sanctitatem colebant, & consuetudinis suavitatem adeo diligebant, ut quoad quisque posset, ac liceret, ab Viri hujus amantissimi latere nunquam discederet. Quidam præterea animi labes expiaturi, eo arcanorum suorum Arbitro utebantur, quos ipse ad summam pietatem erudiebat; & quanquam post annum sextum (1), quam in illud Collegium venerat, *Visitatoris* dignitate honestatus esset, quæ in præclaris habetur universi Ordinis (honores enim vel fugientes consectantur magis), nihil de pristina ratione immutavit, nec nisi anno postero [2] cum graviter a pituita laborasset, Majorum consilio id laboris deposuit, seque in proximum D. Alexandri Collegium transtulit. In quo ea fuit in omnibus, quæ ad Instituti nostri rationem pertinent, accuratione, ac diligentia, ut nemo non eum sibi tanquam absolutum virtutis exemplar proponeret. Quamquam non hoc novum fuit in Viro, qui semper & ita vixit, ut exactissime præstaret omnia, & in omnibus ita se præbuit, ut qui in eum intuerentur, in eo suspicerent singularem integritatem.

Propter hoc ipsum, coactis anno MDCCXL Romæ Comitiis, quorum ipse Præses delectus fuerat, cum Præpositus decernendus esset Collegio S. Barnabæ, quod Mediolani illustre est, universique Ordinis fun-

(1) Anno 1737. [2] videlicet 1738.

fundamentum, neminem arbitratus est Joannes Hieronymus Gazonius, qui tum Congregationem moderabatur, ad tuendam, augendamque disciplinam tam appositum, quam Cignanus esset, sua quidem, bonorumque omnium opinione. Hoc ei fuit postremum munus, in quo non multo post vita functus est. In eo autem, cum alias semper, tum multo quam ante incredibiliori virtute rem gessit. Nemo eo diligentior in omnibus, nemo vigilantior, propterea ut nihil institutionum nostrarum vel levissimum aut præteriret ipse, aut a quopiam sineret præteriri. Quæ solertia quibusdam videbatur fortasse nimia. Ceterum animadversiones ipsas tanta humanitate leniebat, ut nemo ingratiis exciperet.

Erat autem ad omnem urbanitatem excultus, ut initio diximus, in summo decore blandus, in summa gravitate officiosus; nihil tamen ut aulicum referret in illa oris, & sermonis concinnitate. Quare clarissimi eum Viri, Matronæque illustres habebant propemodum in deliciis: ceteri illius consuetudinis dignitate, & elegantia abripiebantur. Loquebatur autem sermone nitido, formulis non exquisitis quidem, sed iis, quæ ad rem essent accommodatissimæ. Mirum est enim, quam esset in loquendo prudens, & circumspectus. Neminem carpsit, suggillavit neminem; & quamvis in concione, eo præsente, suum quisque judicium de aliquo aperiret, non erat ipse facilis in suo proferendo, præsertim si quid esset, quod ceteris de aliquo non probaretur; quibus non suam ipse sententiam opponebat, sed ita accommodabat orationem, ut neque opinioni illorum refragari, neque de alterius nomine quidquam detrahere videretur. Qua facilitate dilabendi, præter omnem rusticitatem, ab iis, quæ

quæ minus arridebant argumentis, adeo præstitit, prorsus ut verbis caream ad dicendum.

Summa fuit in omnes charitate; quare omnibus se accommodabat, omnes, quamvis infimos, habebat honestissime. Difficile dictu est, cum eam gereret, de qua meminimus, nobilium puerorum curam, quibus artibus eorum animos caperet, quibus blanditiis, ac suavitatibus; in quibus nihil ipse dignitatis imminuebat, ii vero ad litterarum, pietatisque studia alliciebantur. Ægrotantes vero singulari cura prosequebatur, eosque adibat frequens, & solabatur, nullamque diem prætermittebat, qua, uti haberent, non exploraret. Quæ sollicitudo ei res moderanti sic inhærebat, ut nihil supra. Etenim ne quid cui deesset, studebat diligentissime, neque in Ministrorum cura, quæ interdum languescit, facile acquiescebat. Tanta accuratio ejus mortis caussa fuisse visa est, quemadmodum inferius commemorabo. Quid dicam de moribus facillimis, de liberalitate, bonitate in omnes? qua nemini consilio, auxilio, officio defuit. Verum eos, qui aliqua virtute præstarent, non diligebat modo, sed colebat, amplectebatur, in oculis ipsis ferebat; propterea ut, etiamsi virtus non esset seipsa amabilis, videretur quodammodo propter tantam eximii Viri benevolentiam expetenda.

In se tamen unum paullo fuit asperior; quanquam tanta dissimulatione obtegebat hujusmodi severitatem, ut bona ejus pars nemini, nisi eo mortuo, fuerit comperta. Erat enim summa victus, & cultus parsimonia. Nihil, præter libellos paucos habebat ejus usui concessos, nihil, nisi quod corpori sustentando esset satis, dietim capiebat. Raro potione indica, quam dicimus *cocleatam*, utebatur, eaque ab aliis invi-

ta-

tatus, quam ipse quidem præbebat aliquibus, officii, gratiæve caussa, neque alio servabat, nisi ut hospitibus paratam haberet, quemadmodum hac ætate, Mediolani præsertim, in urbanitate ipsa posita est oblatio ejus poculi. Ceterum valenti stomacho utebatur, & eo erat corporis habitu, qui cibum non exiguum postularet. Nihil præterea, quod commoditatem utcunque saperet, neque appetiit, neque voluit; quare ne graviter quidem ægrotans, cum in lectulo brevissimo decumberet, in quo versare latus vix posset, aut latiorem postulavit, aut afferri passus est non rogatus. Hieme insuper cum vexaretur frigore, quę erat ei tempestas molestissima, nonnisi postquam cœnatum, pransumque esset, ad ignem accedebat; attamen propter pleuritidem, qua ante annos aliquot morte ipsa periclitatus fuerat, pectore, & respiratione, ob aeris rigorem, laborabat. Hæc atque alia id genus multa ab iis, qui cum eo familiariter versabantur, sunt quamsæpissime adnotata. Post ejus obitum prodiit multo gravior, cui dabat operam, castigandi corporis industria. Etenim ferreis catenulis, quas manicis quibusdam rudioris cannabis insuerat, a cubito ad manum usque muniebat utrumque brachium; has autem crebro, quasi pulverem excuteret, vestemque componeret, vola percutiebat, adigebatque, ut aculeis, quibus erant instructæ, brachium fodicarent. Quæ frequentia admovendæ manus ad eas, de quibus diximus, excussiones, ita erat omnibus nota, ut consuetudinis loco putaretur, quam is (ut in similibus usuvenit) incogitans contraxisset. Sed ea, quæ detecta sunt, instrumenta simulationem religiosissimam prodiderunt. Habebat e crassiori item cannabi indusia, quæ in similem torquendi corporis usum procura-

ra-

rabat, caussasque interponebat, ut quo spectaret, nemo, eo sospite, intellexerit. Hæc vero consuebat sibi ipse, ac diligentissime ab omnium oculis custodiebat. Inventæ sunt præterea zonæ quædam latiores e setis contextæ, quæ una cum ceteris, de quibus diximus, in ejus supellectili fuerunt maximæ opes, & copiæ.

Hujusmodi membrorum coercitione summam servavit vitæ innocentiam, quæ a decoro quodam universi corporis positu, quasi quibusdam radiis, explendescebat. Etenim Cignanus sic ore, incessu, sermone, manuum motu, vocis moderatione composuerat se totum, ut eo pudore honesto omnium admirationem traheret, conciliaret vero sibi claram, & stabilem, quæ non in sententia solum, verum etiam in nutu ipso resideret auctoritatem. Hinc ad gerendas dignitates videbatur non factus, sed natus: Hæ vero in ipso non modo eminebant, sed fiebant quodammodo præstantiores; quas quidem ea sedulitate administravit, de qua sæpe fecimus mentionem. Neque animo minus integro præstitit, & omnis, quantumvis minimæ, labis vitandæ studioso. Quare Cignanus vel in exiguis Instituti nostri observationibus antecelluit; propterea ut ad eum quicunque mores suos componere studuisset, is procul dubio, quod est optimum in hominis vita, tenuisset. Quanquam inerat in ejus virtutibus præstantia quædam, quæ facile quidem imitabilis videretur existimanti, sed nihil erat, mea quidem sententia, experienti minus.

Religio autem ejus fuit eximia, quæ quamvis perpetua illa vitæ ratione, de qua egimus, satis videatur perspecta esse; tamen est aliquid adiiciendum. Nam defixa in Deum cogitatione agebat omnia, in

quibus honorem ejus, ac voluntatem respiciebat. Huc spectasse videtur quæ fuit ei familiarissima consuetudo, res suas quamsæpissime intercipiendi verbo *Amen*, *Amen*, quod submissa quidem, sed ea, quæ interdum exaudiebatur voce, pronuntiabat. Quo verbo, nisi fallimur, actus posteros cum ea se conjungere voluntate significabat, quam primo mane suscepisset, omnia ad Dei voluntatem, & gloriam exequendi. Sed est dolendum, multa de hoc Viro, quæ penitiorem ejus animum spectant, nobis prorsus esse incomperta; de quibus, quoniam nonnisi conjecturis loqui possumus, nos, qui scribere explorata omnia constituimus, nihil præterea affirmabimus. In sacris autem rebus tanta utebatur diligentia, ut nemo non intelligeret, quam ille divinam se rem agere probe cognosceret. Etenim in sacro faciundo, cui se accuratissime comparabat, ex adspectu ipso singularis quædam pietas, affectique animi devotio spirabat. Neque erat in eo brevior, sed omnia agebat gravissime, summa cum modestia, ac dignitate. Meditatione autem supernarum rerum, precationeque assidua delectabatur; qua de caussa vel in supremo agone, de quo mox sum dicturus, davidicos perpetuum psalmos recitavit. Hanc vero tantam in Deo colendo assiduitatem cum omnibus, quæ gessit, muneribus exactissime copulavit; quod mirum est prorsus intelligenti, quantum externarum rerum administratio, Juvenumque instituendorum cura facile avocet animum ab ea religiosissima pietatis exercendæ sedulitate. Expertus loquor; quare & Cignani constantem semper, ac ferventissimam religionem vel hinc facio longe pluris.

Is igitur cum Collegium S. Barnabæ, de quo sermonem ante fecimus, gubernaret, morbus quidam

ob

ob infestam hiemem invaluit anno labente MDCCXLII, cujus caussa Mediolani, universaque Italia, cum plurimi interierunt, tum nemo prope sine aliqua labe, aut invaletudine excessit. Etenim homines sic epiphora laborabant, ut nisi ea opprimerentur, febri saltem capti, diem aliquam ægrotarent. Quare cum in aeris vitio, quem omnes combiberent, caussa morbi sita esset, inerat in hoc ipso aliquid gravius. Neque enim cavere eum quisquam poterat, neque vices in eo contrahendo servabantur; propterea ut ad unum omnes, eadem domo, eodemque tempore, distillatione illa gravi, febrique caperentur, quemadmodum multis accidit, maximo incommodo, ac difficili famulatu. Idem in eo Collegio factum est, in quo cum omnes ferme, extra Præpositum, unumve, aut alterum e Sacerdotibus, famulisque, decumberent, dici vix potest, quanto ille studio adesset omnibus, ac multa ipse famulorum instar administraret. Accessit quod nobilis quædam Matrona, quæ Cignano semper usa fuerat animi sui Moderatore, cum eam luem traxisset, in eoque esset, ut vivere diutius non posset, eundem accersitum rogaret vehementer, ne sibi supremum spiritum mittenti deesse vellet, quem semper in vita habuisset animi sui arbitrum, & adjutorem. Huic postulationi Cignanus indulsit. Quanquam ab homine officiosissimo non erat opus enixa postulatione. Illi igitur, morbi vi, supremoque agone laboranti, adfuit tanta strenuitate, ut nullam sui haberet rationem; quare & diurnum aerem, & nocturnam in summo frigore vigiliam passus, nunquam ab ejus lecto dimotus est, quoad ejus legit supremum spiritum, oculosque clausit.

Tum domum reversus est algidus, & pectore,

 quem-

quemadmodum diximus, jam dudum affecto, pituitosus. Neque minus a publicis, privatisque rebus abstinuit; quapropter defatigatione ipsa pectus ingravescere cępit multo magis, febrique accedente, pleuritis se prodidit acutissima. In eo morbo, qui tanta vi eum adorsus est, quanta satis fuerit, ut accedentes Medici, de ejus vita actum esse, continuo pronuntiaverint, sic ille constitit, ut vel tum gravitatis, patientiæ, religionisque exempla ediderit luculentissima. Illud fuit memorandum, quod cum alias amicissimi sibi, experientissimique Medici, quem maximi semper fecerat, & loquendo insuper præsenti in re memoraverat, diligentia, simillimo in morbo, incolumis evasisset; quod tamen ille non erat in conductis Collegii Medicis, neque eum accersiri jussit, quemadmodum arbitratu suo facere potuisset, neque minus in aliorum curatione perinde acquievit, quam in illius amore, atque industria spem maximam recuperandæ valetudinis posuisset. Semper enim religiosissimum ei fuerat in summa, quæ institutorum nostrorum est, rerum communitate nihil habere singulare, & exquisitum. Quapropter, quod omnibus commune non esset, minime sibi voluit adhiberi. Verum ex eo se morbo moriturum adeo intellexit, ut de suo interitu, tanquam certa de re, loqueretur. Quare ad eum accedentes, officii caussa, humanissime excipiebat, & quibus opportunum id videbatur, monita dabat suprema, tanta animi significatione, ut multi vix lacrymas continerent. Videbatur autem de perpetua spiritus sui felicitate, quendam quasi nuntium accepisse; adeo valet & recte factorum conscientia; & in Deum sponsorem spes solidissima. Qua de caussa perpetuam se omnium memoriam servaturum affirmabat; iis vero,

qui

qui legum noſtrarum eſſent cultores diligentiſſimi, incolumitatem, & amplificationem a Deo Optimo Maximo deprecaturum. Ei etiam, cum Sanctiſſimum Divini Corporis Viaticum allatum eſt, in animo erat ſuper hoc verba facere. Sed quoniam non ſine multa animi contentione id feciſſet, facere autem affecto pectori futurum videbatur quamlaborioſum, rogatus ne dicendo fatigaretur, morem roganti geſſit. Quanquam vero, concione abrupta, omnem in Deum excipiendum cogitationem animi tranſtulit; neque multo deinceps unctione ſancta ad confligendum eſt comparatus; tamen Alexandro Lurano Vicario ſuo mandavit, ut veſperi ejus diei in omnium conventu concionem haberet ſuo nomine, rogaretque, ſi qua in re gravis alicui fuiſſet, ut ignoſceret morienti. Id vero inculcavit vehementius, ut diceret: Se etiam, atque etiam hortari omnes, & obteſtari, ut veram, ut ſolertiſſimam colerent inſtitutorum noſtrorum rationem. Se vero, quoniam non poſt multo apud Deum feliciſſimo loco futurum ſperabat, eorum recordaturum, quorum, in exequendis Ordinis noſtri legibus, animus præ ceteris incaluiſſet.

Hac in juſſione, quam Vir ſedulus ſuarum eſſe partium ducebat, denique conquievit. Deinceps orando, meditandoque tranſegit diem. Pſalmos enim perpetuum recitabat, nec niſi jucundo quodam intuitu in Chriſti Crucifixi imaginem, & ejuſdem oſculatione identidem abrumpebat. Qua de re illud commemorabo, quod eſt præſtantiſſimum. Juſſerant Medici, quando de ejus jam vita actum erat, ad hanc protrahendam labia ut laborantis generoſo in horas vino reficerent. Quod cum fieret, neque Vir Religio-

ſiſ-

ſiſſimus initio reſpueret, ajebat tamen: *Non his deliciis morienti Domino conſultum eſſe*. Foſcebatque, vini hiſpani loco, oſculandam Chriſti Iconem ut exhiberent, qua recreari, atque erigi multo ſe validius profitebatur. Quare & vinum deinceps recuſabat capere, & ſuaviatione illa crebriori roborabatur. Denique ei vox, & locutio defuit. Labia agitabat tamen, & quamvis animam ageret, non eum ratio, ſenſuſque deſeruit; qua de cauſſa intelligere ſe omnia ſignificabat, quæ ad aurem inſonuiſſent, & admotam ori ejus Crucifixi Domini imaginem ſuavitate eadem, qua antea, oſculabatur. Hoc modo cum horas circiter denas egiſſet, ſpiritus ejus ex hoc mortali carcere evadens, ad ſuperas, ut credimus, oras ſe tranſtulit v. Kal. Januarias Anno MDCCXLII, cum annos expleſſet unum, & ſeptuaginta, Menſes duos, dies duos.

Cum omnes noſtri in funus veniſſent, aſpectu ipſo, verbiſque ſignificarunt, quam acerba accidiſſet tanti Viri jactura. Cujus mortui ne memoria interiret, curatum eſt Imaginem quantocius, pingi. Cadaver autem in arca lignea incluſum eſt, poſito in eadem ad Poſterorum notitiam elogio, quod Angelus Maria Rinaldus compoſuit, Vir eximius, cujus geſta mox conſcribemus.

Fuit procero corpore, decoro vultu, gravi inceſſu, ore comi, colore florido, qui quanquam in ſene flacceſcebat, attamen non evanuerat: perſpicua, & canora voce, natura vividiori, & ſanguinea, alacri, promptoque animo. Quod tanto eſt admirabilius, quanto perpetuis quibuſdam anguſtiis angebatur. Verebatur enim ſæpe, ſæpe religioſius extimeſcebat, ne quid vel leviſſimum admitteret, quo a lege deſciſceret tranſverſum unguem. Quare eo eſt

Ci-

Cignanus commendandus in primis, quod cum ceteri, qui similiter habent, sint plerumque abjecti animi, morosi, difficiles; is nunquam animo cecidit, neque minus se affabilem omnibus, ac jucundissimum præbuit. Propterea cum illam intus se morositatem comprimeret, & occultaret, tantum sibi erat violentus, quantum aliis humanus, & officiosus. Damnum insuper illius interitu res nostræ fecisse quibusdam sunt visæ, qui opinarentur, eum, si diutius vixisset, supremæ Ordinis moderationi præficiendum. Nemo sane fuit, qui Cignanum viventem non suspexerit, non mortuum desideraverit. Quod quam amplificet Optimi Viri commendationem, ii omnes intelligunt, qui animadverterint, nihil esse gloriosius, quam si ita vixeris, ut omnes te colant sospitem: sic interieris, ut tui non memoriam modo reliqueris, sed desiderium.

Historiam hausimus ex Actis Collegiorum, & ex iis, quæ nobis compertissima extiterunt, qui cum eo sumus sæpe versati.

FRAN-

(VIII)

FRANCISCUS ARBOREUS
DE
GATTINARIA

ARboreorum Gentis de Gattinaria nomen in præclaris Italiæ familiis est celeberrimum. Mutius ex eo genere Vir strenuus, Hispanarum primum copiarum Centurio, dein Lucensis Reip. Tribunus, Placidam Besutiam pari nobilitate Fœminam cum sibi matrimonio adjunxisset, Ticini Franciscum (1) genuit, de quo sumus scripturi. Hic indolem natus ad omne studiorum genus accommodatissimam, Mediolani institutus, eruditusque est, Urbe amplissima; in qua cum operam Rhetoricæ dedisset in Societatis Jesu gymnasio, Congregationem petiit S. Paulli, cujus Institutum amplexus, post solemnia, ut mos est, sacramenta (2), Eloquentiæ, ac Philosophiæ studiis se applicuit. In hac ei Doctor obtigit Paullus Borellius, Vir propter doctrinæ præstantiam illustris, qui & Nolensis Antistes decretus fuit. Franciscus & discendæ Philosophiæ studio flagrabat, & ea graviora studia suavioribus litteris temperabat; in quibus cum alias valere se non mediocriter significaverat, tum habita de Philosophiæ laudibus egregia oratione, opi-

(1) Anno 1658. 13 Januarii. Angelus Antonius primum vocatus est, Franciscus dein, cum Religionem ingrederetur. (2) Anno 176

opinionem ſui peperit longe honeſtiorem. Theologiæ vero curriculum cum Romæ peregiſſet, Philoſophiam docere juſſus, Mediolanum reverſus eſt (1).

Interea dicendi artem mirifice excoluit, ad quam natura, atque ingenio valebat plurimum: neque minus probabilem ſe, ut ea ferebant tempora, Philoſophum præbuit. Ceterum inerat Gattinario & ad inveniendum facilitas, & ad eloquendum copia, & conjuncta cum dignitate ſuavitas ad pronuntiandum. Vox ei præterea arguta, & reſonans, cum geſtus, atque oris venuſtate, & gratia.

Cum igitur oratorium munus, quod ſibi ipſemet aptiſſimum intelligebat, ei non minus Moderatores noſtri decernerent, abdicato poſt annum tertium Philoſophiæ magiſterio, in Collegium Aſtenſe, tanquam in ſeceſſum quendam, ſe abdidit, in quo & conciones ſuas conderet, & quaſdam, quas ante compoſuerat, perpoliret, ſeque ad illud munus inſtrueret quam aptiſſime. Omnia ex ſententia. Quarto poſt anno ſic ille prodiit, ut Mediolanum, tanquam in celebriorem locum, revocatus, inde per univerſam Italiam brevi admodum inclaruerit. Quare cum e ſuggeſtu dixit iis in locis, qui omnium habentur clariſſimi (2), tum in dicendo honeſtiſſima eum fama jure eſt conſecuta. Etenim ad flectendos animos valebat plurimum. Præterea ſic in dicendo afficiebatur, ut ſæpe lacrymaretur; quare illud de Gattinario quibuſdam in proverbium venerat, pluſne dicendo ſudoris, an fletus funderet. Sane ſuo ipſe fletu vel duriorum aliquando lacrymas eliciebat.

V Ve-

(1) Ann. 1681. (2) Mediolani Maximo in Templo, Florentiæ in D. Laurentii, Venetiis in D. Zachariæ, Bononiæ in D. Petronii, Januæ in Templo Vinearum ea tempeſtate in primis celebri, Utini, Melitæ &c.

Verum non eloquentia modo, sed & prudentia præstitit mirum in modum. Quare ipsum, etsi reluctantem, (1) Moderatores nostri Mediolanensi Collegio, quod D. Alexandri vocitant, præfecere; nec multo post universæ Provinciæ Mediolanensi. In utraque moderatione omnium sibi animos conciliavit, singulari usus cum in agendis rebus dexteritate, tum in regendis hominibus lenitate. Quibus, aliisque virtutibus tantam præterea summorum Virorum iniit benevolentiam, ut ejus consuetudine mirum in modum delectarentur, &, propter singularem morum præstantiam, eundem officiis humanissimis complecterentur.

Hæc inter [2] tenentibus Mediolanensem Principatum, gliscente bello, Gallorum copiis, Philippus M Resta Alexandriæ Statelliorum Antistes vita functus est. Erat tum ea Civitas in Mediolanensi ditione, a qua non post multo ablata est. Clemens XI. P. M., cui obscurum non erat Gattinarii nomen, quique ei, quemadmodum ferunt, secreta quædam negotia Mediolani tractanda comendaverat, cum Gallorum insuper, a quibus multam inierat gratiam, officia sponte accessissent, eum delegit, cui sacra illius Urbis moderanda decernerentur. Alexandrinus itaque Antistes renuntiatus, Romæque initiatus de more (3), III Kal. Octobres eam inivit administrationem, ingressus Urbem pompa celeberrima. Postero Mense ad Victorium Amædeum Sabaudiæ Ducem, Regem deinde Siciliæ, ac Sardiniæ, Civitatis, agrique illius transiit Dominatio.

Hic ille moderari omnia diligenter, omnia componere ad optimam disciplinam: Domesticam in primis familiam certis regulis continere: Ipsemet exemplum

[1] Anno 1703. (2) Anno 1705. (3) Idibus Junii.

plum præbere se ceterorum. Sæpe etiam e suggestu concionabatur, valetudinaria adibat, morientibus aderat, pauperum greges conlata stipe sublevabat; quibus aliquando solemne convivium struxit in atrio quodam amplissimo, ac foro ipso; propterea ut nemini deesset, privatamque, ac publicam utilitatem diligentissime procuraret. Illud insuper memoratu dignissimum, quod in graviori calamitate nudis non semel pedibus sacro cum agmine incesserit ad avertendam Dei indignationem (1), quod fecit imbrium exundantium caussa, & cum Boum lues armenta popularetur (2).

Verum nonnulla sunt, quæ accuratius referam; nam & eum pertingunt paullo propius, & eam plane significant, qua semper est usus, ad eos instituendos, qui sacris se addicerent, operam, ac diligentiam. Atque ipse cum Anno MDCCXIX in oppido Gattinariæ ex morbo gravissimo fuisset vita periclitatus, Virginis autem Deiparæ patrocinio, præter omnium spem, probe convaluisset, Eidem referre decrevit, pro restituta incolumitate, gratiam celeberrimam. Etenim reversus Urbem mira hominum frequentia, adventum ejus, salutemque non sine lacrymis gratulantium, ac princeps Templum recta ingressus, crebra nobilium Virorum, ac Mulierum corona, ingredientem præstolante, atque stipante, Gratiarum Hymnum sublimi e loco ipse præcinens, reliquum musice cantari jussit: quod cum fuisset cantatum, venit ad Sacrum Beatissimæ Virginis simulacrum, quod *de Salve* vocitant, atque hoc veneratus, detraxit sibi pretiosissimam, quam gestabat, ex adamantibus, auroque, & smaragdis optimis crucem, signique illius collo circumdedit;

(1) Anno 1708. (2) Anno 1716.

dit: fuitque hæc & recuperatæ valetudinis significatio gratissima, & solemnis hujusce gratiarum actionis illustre admodum posteris monumentum. Neque post multo sacellum ipsum, in quo Simulacrum id colitur, picturis honestavit, quemadmodum & alia insuper duo: aliud item Deiparæ, aliud Sancto Joseph dicatum, quo argumento Sanctissimam Dei Parentem meritam de se præclarissime in dies amplius testaretur.

Quantum vero in eos informandos, qui sacra administranda suscipiunt, non æris modo, verum etiam laboris, studiique contulerit, argumento est vel inprimis curatum, auctumque diligentissime alimentariorum (1) [quod Seminarium vocant] Puerorum Collegium. Etenim hujus ædificium magna ex parte amplificavit, & pervetus instauravit universum. Quo autem Adolescentes ordinate viverent, certas eisdem leges perscripsit ad optimam morum, studiorumque rationem. Theologiæ præterea Scholam instituit, cui pertractandæ Sacerdotem ex nostris eruditum Virum a Præposito Congregationis, cum ipse, tum alii ab ipso Antistites præfici curaverunt. Collationum pariter de hominis officiis, quas *casuum conscientiæ* vocant, usum invexit. Et quo propius urgere rem posset, duo sibi cubicula ibidem struxit, in quibus cum alias interdum, tum quotannis decem continentes dies commorabatur, quibus exercitatione mentis vires animi reficeret, conatusque suos ad eam Sacrorum moderationem intenderet inde magis. Verum ne-

so-

[1] Ea utimur formula, quam in veteri apud Muratorium inscriptione perlegimus Tom. I. p. 237. n. 3. Eadem habetur Leg. 24. D. In Transact. Capitol. in Pio c. 8. ubi *Puellæ alimentariæ* nominantur, seu quibus legata sunt alimenta.

solus in id incumberet, pecuniam contulit, collocavitque, ex qua tantum quotannis rediret, quantum Sacerdotibus quadraginta, decem dies alendis, sufficeret. Hos vero in orbem ex universo cœtu invitatos tempore cogebat eo loci, in quo per Virum ad id aptissimum & quæ meditanda essent, & quæ ad eorum officium maxime pertinerent, sedulo proponebantur. Ad quod munus aliquot ex nostro Ordine quamsæpe delegit, in quibus fuit Raymundus ille Recrosius, Vir ad id genus rerum propemodum natus, quemadmodum in ejus Vita memoratum est. Ne vero piarum hujusmodi exercitationum fructus interiret, bis in Mense Sacerdotum conventus habebatur, quo in eorum mentem, quod suarum præcipue partium esset, accuratius revocaretur. Huic ipse concioni intererat, eique & locum, & Monitorem optimum præstabat Societatis Jesu Collegium, ut sunt ii Viri ad omnem semper opportunitatem & apti in primis, & expediti.

Tanto studio cum in rem sacram incumberet; nullum tamen prætermisit officii genus, quod ad urbanitatis, animique significationem aliqua ratione spectaret. In quo cum omnium sibi captabat animum, tum nihil agebat, quod dignitati, honestatique suæ non optime consentiret. Nihil ei præterea antiquius fuit, quam bene de omnibus, optimeque mereri; qua ratione, non eos modo, qui bono in se animo essent, complectebatur, sed eos item, quos malevolo, infensoque esse intelligebat. Nihil enim avebat magis, quam omnium gratiam, ac voluntatem. Ajebat insuper, quemadmodum ad me relatum est, conciliari oportere animos omnium; adversas vero voluntates beneficiorum copia non demerendas modo, & lucrandas, sed deviciendas quodammodo, & opprimen-

mendas. In quo ejus apparet lenitas, ac moderatio. Hoc vero quantum ei ſucceſſerit, ignorat nemo. Quare neque eo quiſquam in omnes liberalior, neque eo gratioſior apud omnes.

Illud eſt Gattinario in primis illuſtre, quod apud Victorium Amædeum Regem tantam adeptus eſſet benevolentiam, quantam Sacrorum Antiſtitum nemo per eam ætatem: quapropter & eum Rex ſemper humaniſſime habuit, & obſervavit. Hinc factum eſt, ut in ea difficultate temporum, quibus graviſſimæ Regem inter, Romanique Pontificis Adminiſtros controverſiæ agitabantur, quamquam Gattinarius nunquam ſacro muneri defuiſſet, nihil plane de comitate, humanitateque in eum ſua Victorius detraxerit. Quin rebus cum Benedicto XIII. P. O. M. primum compoſitis, eundem Primarium Taurinenſis Provinciæ Præſulem, Auguſtæque Domus Antiſtitem legit. In ea adminiſtratione veterem in Gattinarium munificentiam novis in dies meritis Rex cumulavit. Nam præter quam quod eum ab ære regio in pauperes erogando decrevit, Mercurinum ejus Fratrem, e noſtra Congregatione Oratorem illuſtrem, Alexandrinum Epiſcopum, in Vincentii Ferrerii ſacra purpura paullo ante donati, & ad Vercellenſem Cathedram tranſlati locum, ſuffici impetravit. Nec deſunt, qui putent, Victorium Regem, de Gattinario inter Purpuratos Patres annumerando, aliquam Romæ habuiſſe tractationem; quamvis deinde res alio ceſſerit iis de cauſſis, quas minime oportet recenſere. Sed noſtri inſtituti non eſt, incerta pro certis ponere. Illud eſt exploratum, Eundem, quoad Regno uti voluit, quamoptime ſemper in Antiſtitem noſtrum fuiſſe animatum. Carolus autem Emmanuel, qui tanta in præſens potitur re-

rerum prosperitate, post abdicatum a Patre Regnum, sic in eum est usus, ut non modo Paternam rerum administrationem excepisse videretur; verum etiam humanissimam in Gattinarium voluntatem. Sed ad rerum seriem redeamus.

Augustam igitur Taurinorum mira omnium Ordinum lætitia, ac celebritate magnifice exceptus, eam Provinciam, ut in omnibus semper sibi constare assueverat, non dissimili atque antea diligentia administravit, factumque est, ut quantum Alexandrini ejus discessu maxime doluerunt, Taurinenses tantundem de ejus adventu hilares, erectique in summam rerum omnium secundarum spem lætarentur. Quorum non ipse fefellit expectationem. Etenim nihil eorum prætermisit, in quibus pastorium illud munus est positum. Quare & locorum omnium, quamvis difficili, lustratione, & perpetua administratione sacrorum, & moderatione morum cujusvis ordinis, christianæque fidei procuratione, cum in urbanis, rusticisque pueris, tum in finitimis hæreticarum regionum Incolis, Sacerdotum vero honestatis, vitæque castigatioris institutione, coacto propter id Concilio, editisque decretis, omnia executus est, mature admodum, ac sapienter.

Tanta autem cum in omnes, tum maxime in egenos liberalitate fuit, ut veterem illam, qua semper maxime floruit, omnibus gratificandi voluntatem singulari quadam charitatis accessione cumulaverit. Etenim ut in omnibus consuetudo valet, atque in ea sumus longe promptiores, ad quæ usu, & exercitatione fuimus comparati; Gattinarius cum in tanta erga omnes animi facilitate, & proclivitate insenesceret, nihil suum ducebat, quod pauperum præser-

tim

tim utilitati non devovisset. Quo in genere illud excellit, quod cum annuam pecuniam, nec sane exiguam, quam quotannis alteri pendebat, sibi demum, hoc mortuo, redire intellexisset, non eam sibi, sed pauperibus adquisitam fore affirmavit.

Itaque & ab eo stipem rogavit nemo, qui non referret, & nemo opis indiguit, cui ipse, quamvis minime petitus, non sponte præberet. Sæpe cum aliquem offensum fortuna videret minus bene vestitum, ut dignitati ejus, pudorique consuleret, misit clam vestem, supellectilem, pecuniam. Quam largitatem non in privatas modo domos, ac familias exercuit, sed in Urbis Collegia quædam Sacrarum Virginum, & inopum Puellarum. Atque harum quidem postulationem antevertit, cum domus quædam conflagrasset, ex qua non mediocres fructus capiebant. Etenim argenti vim grandem postridie misit, cum ejus misericordiam minime implorassent. Dabat vero cum effuse, tum hilariter. Quare neque unquam se lætiorem ostendit, quam post exercitam munificentius largitatem; neque tristiorem, quam cum sibi ad largiendum deesse opes intelligebat. Quamquam non erat natura tetricus, sed adspectu semper, atque animo compositus ad jucunditatem; quare non eum sua, sed gregis inopia angebat. Ceterum cum ei suum deesset, alienum æs, publicæ calamitatis gratia, aliquando contraxit, de quo dissolvendo, quamvis esset sollicitus, nihil eo secius a donando abstinuit, propterea ut mirarentur multi, qui possent annui redditus tot ferre, tamque effusas largitiones. Nam paucis interdum mensibus tantam summam expendit, quantum annui census bonam partem absumeret. Sane a Kal. Januariis ad extremam, quam obiit, diem, ad

quin.

quinque aureorum millia distribuisse initis rationibus est deprehensum, præter id nummum, quod inventum est in loculis eo mortuo, destinatum, ut solebat, in eos, qui a Valdensium secta veram amplexi Religionem, inopia interdum ad hanc deserendam sollicitantur.

Sed Eo Taurinensem Provinciam moderante duplex bellum exarsit: alterum, in quo Carolus Emmanuel Rex inito cum Gallis, Hispanisque fœdere, in Germanos, alterum, quo cum Germanis adversus Hispanos, Gallosque pugnavit. In utroque autem pari usus felicitate Ditionis suæ fines amplificavit. Sed alterum altero bellum periculosius. Illo enim, capta Insubria, ab aviti juris finibus procul res gerebantur: hoc vero, amissa Allobrogum Provincia, de Italiæ, Regnique ipsius finibus certatum est. In hoc igitur, in quo propter hostium vicinitatem, accepta plaga, perniciosior multo clades fuisset, amantissimus suorum Antistes, cum privatim semper Deum, Superosque omnes, publicam ut noxam averterent fuerat deprecatus, tum anno potissimum MDCCXLIII, hostilibus copiis in regionem irrumpere vi longe validiori conantibus, publicas pro Regni, Regisque incolumitate supplicationes indixit. Quibus cum X. Kal. Octobres finis imponeretur, ipsa die suavissimus Præsul in Templo maximo accommodatissima oratione populum est allocutus. Hac vero, quam die altera & vicesima ante obitum habuit, quæque fuit omnium postrema, præter multa graviter, copioseque de more tractata, omnium animos, quæ in eo virtus semper emicuit, commovit mirum in modum. In ceteris, cum peroraret, effuseque, ut assueverat, lacrymaretur; illud Deum O.M. exoravit, si quid suorum

nece luendum foret, id suo magis, quam populorum interitu expiaret. Quod tanta animi significatione dixit, ut nemo non intelligeret ab illo se diligi impensius, nemo non in illum, multo quam ante studiosius, afficeretur.

Ab hujusmodi concione plane voti compos visus est discessisse. Etenim cum domum fessus, ac sudore madidus rediisset, quanquam dies aliquot bene habuit; tamen propter vocis contentionem, qua ei effeta illa ætate dicenti utendum fuerat, intestinorum dilapsus, quo morbo pridem laborabat, ita cœpit ingravescere, ut v. Idus Octobres e lecto surgere non valuerit. Post dies vero duos, cum in eo res esset, ut viscerum inflammatio vitari nulla arte posse videretur, monitus est, si vellet Sacramenta sibi administrari; id jam periculum, ac tempus poscere. Qua propositione nihil commotus, eadem libenti, hilarique animo excepit. Quare allato Sanctissimo Divini Corporis Viatico, pronuntiatis cycnea illa voce iis verbis, *Deus cordis mei, pars mea Deus in æternum*, ex iis suavissimam orationem deduxit, fideique catholicæ capita omnia se credere professus est; suamque in Deo spem esse positam, qui pars ejus æternum futurus esset, eundemque cordis sui Deum ita a se diligi testificatione illa solemni asseveraverit, ut tanta animi, virtutisque constantia quotquot aderant commoverentur, multi etiam effuse lacrymarentur. Subeunte nocte sacro est oleo munitus. Quæ nox fuit ei gravissima, non ea tamen, quæ eum fregerit; quo enim acerbiori dolore angebatur, eo confirmabat se magis; *Patiamur vero*, ajebat, *Dei caussa, libenter*, nihilque in torminibus acerbissimis durum ei, aut intolerabile videbatur. Mane postero cum sorbendum nescio

quid

quid attulissent, hoc vix ingesto, sensu omni destitutus est; neque multo post agone brevissimo conflictatus efflavit animam pridie Idus Octobres, anno, quem memoravimus, MDCCXLIII, natus ipse annos LXXXV Menses IX, diem unum. Ei morienti adfuit Josephus Michiardus Congregationis nostræ Sacerdos, Taurinensis Collegii tum Præpositus, quem ille amabat plurimum, & conscientiæ suæ Moderatorem adhibuerat. Triduo cadaver ejus cum in Palatio fuisset expositum, elatum est in Templum maximum funebri pompa, luctu Inopum summo, mœrore Bonorum omnium. Funebrem Orationem habuit præclarus Vir Jo. Dominicus Chionius, in Regio Athenæo Eloquentiæ Professor, quæ typis deinde est evulgata.

Fuit Gattinarius Vir ad omnem benignitatem temperatus, carus omnibus, & amabilis, animo semper vacuo tum omni cupiditate, & metu, tum omni ægritudine, & iracundia; quare & ei tranquillitas animi aderat, & securitas, quæ affert cum constantiam, tum dignitatem. Quamquam in eas interdum incidit difficultates, quæ facile obfirmatum quamvis animum sollicitassent; in quibus tamen cum sæpe aut Regis, aut Romani Pontificis gratia periclitanda esset, tanta prudentia est usus, ut fuerit semper utrique parti gratiosus.

Incredibili fuit in administratione sacrorum constantia, & promptitudine. Nullam, qua Pontificalia peragi solent, diem abstinuit ab eorum exercitatione. Erat autem in iis alacer, expeditus, gravis; nulloque aut tempestatis, aut laboris incommodo fatigabatur. Quare cum Cisalpinis Urbibus, propter impendentes difficultates, Pontifices multi deessent, eum adibant omnes ferme, qui sacris essent initiandi, quos

humaniter complectebatur, eorumque postulationibus sine ulla morositate satisfaciebat. Ob hanc ipsam facilitatem finitimas quasdam Urbes adiit rogatus, in quibus tria, quinque, amplius, hominum millia, una, tribus summum diebus, sacro chrismate liniebat. Astæ cum id egisset, concionem præterea habuit e pegmate, medio in foro, innumerabilemque hominum frequentiam, facta sibi a Romano Pontifice potestate, cum amplissima pœnarum relaxatione dimisit.

De ejus munificentia, præter ea, quæ attulimus, quædam de industria in hunc locum dilata, quoniam ad Ordinem nostrum attinent, referemus. Atque in nos perinde semper animatus extitit, atque unus ex nobis: propterea Moderatores nostros semper & coluit, & amavit, & omni officiorum genere prosecutus est; ceteros habuit loco fratrum carissimorum. Sed hoc ad animi magis, quod ad rei, pertinet liberalitatem. Hujus tamen, de qua hic loci referendum est, illud in primis fuit, quod Alexandriæ Statelliorum quatuor, & viginti mediolanensium librarum millia collocavit, ex quibus cum tantum rediisset, quantum in novi Templi ædificationem requireretur (erat enim sacra ædes ibidem angusta), deinceps ii redditus in duorum præter ceteros Sacerdotum sustentationem insumerentur. Taurini autem Villam in primis nobilem gravi impensa emit, donavitque Nostrorum Collegio, quod ab ære alieno non multo ante liberaverat, aureis ter mille dissolutis. Cum vero Mediolani gemmeum illud Altare erigeretur, quod a nobis in Commentario quodam aliquot ante annos evulgato descriptum est, rogatus in id Collegium, quod ipse quondam fuerat moderatus, testimonium aliquod veteris benevolentiæ ut præberet, aureos ducentos mune-

ri

ri misit. Moriens autem Taurinensi nostrorum domicilio legavit totidem. Memoriæ ejus Canonicorum Majoris Templi Collegium Monumentum posuit marmoreum, ad perpetuam largitatis ejus, gratique eorum animi significationem.

Quæ scripsimus, desumpta sunt ex Collegiorum nostrorum Actis, ex litteris multorum, quas dari ad nos curavimus ab iis, qui rerum testes fuerunt, aut res a testibus didicerunt. Quædam ex Oratione funebri, de qua superius dictum est, sunt a nobis collecta. Mortem ejus nos docuit Joseph ille Michiardus, quem ante memoravimus, Vir nobis suavissimus, & amicissimus.

AN-

(IX)

ANGELUS MARIA RINALDUS

SI quanta ineſt multis ingenii laus, tanta ineſſet iiſdem cum in Deo colendo pietas, tum in ferendo labore conſtantia, & litteræ multo in homine honeſtius florerent, & morum integritas, cultu ipſo litterarum amplificata, nativam ingenii bonitatem ſplendore illo virtutis, qui omnium eſt optimus, illuſtraret. Quare ſi quis celeri ſolutoque ingenio frenos injecerit, is optimam ingenii commendationem eſt aſſecutus. Angelus Maria Rinaldus hac virtute antecelluit; neque enim minus ingenioſus extitit, quam religioſus, ac laborioſus: quæ ſane præſtantia cum ſumma in eo fuit, tum, mea quidem ſententia, neque ea facilis, neque vulgaris.

Natus eſt Mediolani Philippo Patre, honeſto Viro, atque integro, [1] paternamque pietatem vel a puero æmulatus, illa inſuper ingenii facilitate & auxit, & illuſtravit. Imbutus nullo negotio omnibus litteris, quibus puerilis ætas erudiri ſolet, eloquentiæ ſtudia in noſtro Mediolanenſi Gymnaſio tanta celeritate confecit, ut annum natus vix quartum ac decimum Philoſophiæ ſtudium ingreſſus ſit; quod pari proſperitate abſolviſſet, niſi poſt annum ab eo ſuſcepto pri-

[1] Matre Catharina Ferraria anno 1685, die 9 Decembris: Eadem die ſacro fonti admotus, nomen retulit Chriſtophori, quod Religionem ingreſſus mutavit.

primum, cum Nos inter cooptari postulavisset, votique compos factus esset, abscedere ipsum alio Moderatores imperavissent, & in alia deinceps tempora ea studia differre. Dialectica tamen axiomata ante propugnavit, quam a Gymnasio in Ordinem nostrum traduceretur; quod ob ingenii ejus felicitatem tam fauste accidit, quam quod faustissime. Atque hoc narrabat mihi Franciscus Pezzius, cujus tum fuerat Rinaldus Auditor. Ac Pezzii quidem Vitam dabimus sequenti Decade; Viri, ob summam sedulitatem, ac diligentiam, memoria Posterorum dignissimi.

His igitur philosophicis institutionibus paullo sepositis, iis erudiri cœpit, quæ ad Ordinem nostrum pertinent rite capessendum, quem anno ætatis sexto ac decimo nondum expleto ingressus est, (1) solemni dein sacramento complexus, [2] cum usitatum de more tirocinium exegisset. Eum excepit Gregorius Rossignolius Provinciæ Mediolanensi Præpositus eo temporis, Vir, propter summam doctrinæ præstantiam, & auctoritatem, clarissimus, cujus acta superius sunt edita.

Sed huic Adolescenti, præter ea, quæ ab ipsa natura habuit summa bona, videntur adjumenta quædam optima extrinsecus accessisse. Etenim duobus iis Viris, quos ante diximus, tertius accrevit Marius Maccabeus, Vir summus, de quo pariter alio volumine scribendum est. Huic cum Rinaldus datus esset auditor, ita res successerunt, ut neque is majorem a Magistro diligentiam, neque ille in discipulo ampliorem eruditionem desideraverit. Quare cum esset biennium in ea disciplina versatus, fecissetque tantos progres-

(1) Anno 1701, die 3 Octob. [2] 1702, 5 Octob. qua die Mediolanum venit ad S. Alexandri Collegium.

greſſus, ut evolare, non excurrere videretur, Romam eſt miſſus, parique felicitate ab egregiis Viris divinas facultates perdidicit, ac tertium poſt annum Mediolanum revocatus, Philoſophiam ipſe tractandam aggreſſus eſt (1). In hac ſe optimum, ut iis temporibus, Magiſtrum præbuit: in qua cum Thomiſtarum doctrinam, ob quandam in S. Thomam religionem ſuam, tuendam ſuſcepiſſet, ſummam ingenii non laudem modo, ſed admirationem eſt conſecutus. Sed erat in mira ſubtilitate perſpicuitas tanta, ut Auditoribus multa, vel in rebus abſtruſis, facilitas appareret. Eandem Angelici Viri doctrinam ſibi amplectendam decrevit, cum Theologiam aggreſſus eſt, quam Ticini primum, dein Romæ tractavit (2). Sed hunc laborem diutius non tulit; quod erat ſumma in ipſo gracilitas, & infirmitas corporis. Procerum inſuper, ac tenue collum, qui habitus, & quæ figura non procul eſſe putatur a vitæ periculo, ſi accedat labor, & mentis multa contentio. Itaque cum eum & Amici, & Medici hortarentur, ut ſcientias agitare deſiſteret, quanquam ibidem non mediocriter inclaruiſſet ejus nomen, Roma tamen diſceſsit, ac Mediolanum in S. Barnabæ Collegium profectus eſt.

Omnibus in his ſtudiis effulſit in eo devota Deo mens, noſtrorumque inſtitutorum diligens exercitatio. Qua de cauſſa erat adoleſcentibus inſtitutio ejus tanto fructuoſior, quanto optima morum exempla ab eo proficiſcebantur, ſcientiarumque, ac virtutis magiſterium conſenſione quadam arctiſſima copulabatur. Sæpe etiam habuit conciones ad populum, & panegiricas orationes. Mirabantur omnes inventionem

(1) Anno 1707. [2] Ticinum adiit anno 1713, Romam anno 1716.

nem rerum ſtudioſiſſimam, & acutiſſimam; eratque in ſumma laude, ut ea ferebant tempora, tanta ſubtilitas, quam qui reſpiceret, eum facile in dicendo principem habuiſſet, cum ipſum pauci æquarent ingenio, nemo ſuperaret. Sed hoc laborioſius, & conquiſitum orationis genus ſic deinde depoſuit, ut quamvis meditata eſſent quæ diceret, ea tamen, nativa citius facilitate humilius fluxiſſe, quam cogitata illa ratione deducta, & quaſi contorta eſſe, viderentur. Laudabatur tamen ſatis, multoque ampliorem in eo genere laudem adeptus eſſet, ſi pari ad pronuntiandum facultate a natura fuiſſet inſtructus. Verum de hoc redibit ſermo deinceps. Ticini etiam puerorum in rudimentis fidei inſtitutionem ſedulo adjuvit. Sacra interdum ad meditandum argumenta continentes aliquot dies propoſuit. Anno autem MDCCXIII. cum boum lue Ticinenſis res agraria male admodum laboraret, Auguſtinus vero S. R. E. Cardinalis Cuſanus ejus Urbis Antiſtes, nonnullos ex noſtris juſſiſſet Majori in Templo accommodatas ad opportunitatem conciones habere, in his Rinaldus excelluit; neque ſolum dicendi laudem conſecutus eſt, quæ minimo in his pretio habenda fuerat, ſed animorum utilitatem, ac morum emendationem, qua nihil erat ad avertendam tantam labem conducibilius.

Verum ad Mediolanenſem illum receptum revertendum eſt, qui fuit illi perpetuus, & in quo reliquum vitæ tranſegit. Hic ille cum altero anno ſatis convaluiſſet, ſeque ea eſſe ætate intelligeret, quæ, non multo valetudinis incommodo, laborem ferre moderatum poſſet, ut fuit cogitandi ſemper, ſcribendique ſtudioſus, oratorium munus a ſua facultate non alienum eſſe judicavit, arbitratuſque eſt, ſo-

lemni eo tempore, quo ad populum conciones habe. ri solent, se in eo commode posse versari. Itaque ad eas condendas orationes se contulit. In quibus, ut erat judicio bono, seque dederat librorum optimæ notæ non lectioni modo, sed etiam imitationi, longe dissimilem inveniendi, dicendique rationem amplexus est ab ea, de qua ante diximus. Solida omnia, omnia ex optimis Patrum, ac Theologorum rationibus deprompta. Eorum, qui sacras conciones ante edidissent (quod multi faciunt) neminem sibi proposuit imitandum, mihique affirmabat, se universa ex Theologicis libris hausisse; cum enim multa, quæ ad virtutem aliquam, quæ ad vitium pertinerent, sive ad aliud, quod suscipere argumentum vellet, ex iis accurate legisset, ea demum colligebat, quæ ad compingendam orationem accommodata esse viderentur. Erat igitur inventio optima, dispositio recta. Tertia Oratoris laus, quæ in eloquendo est posita, quanquam ei non defuit [erat enim in ejus oratione purus sermo, verba non abjecta, res compositæ diligenter], aberat tamen ea vis, & amplitudo, quæ incitaret Auditores vehementer; & quanquam flos interdum aliquis, lumen aliquod eniteret, id cum alacritate eloquendi non satis erigeretur, flacescere paullo, ac restingui videbatur, sive quod natura non esset ita factus, sive quod non consuesset, sive, ut credimus, quod non posset. Animi etiam magna, vocis parva contentio, omnia ferme ut similiter, atque uno modo dicerentur, essetque in gestu non multum concinnus, ut saltatio interdum aliqua nasceretur.

Ceterum Rinaldus quanquam optimorum Oratorum famam non est adeptus, neque erat, ob eas, quas diximus, caussas, admodum popularis; apud eos

tamen, qui probe intelligunt, bene ſemper audiit, neque hi aut doctrinam, aut eruditionem, aut ordinem unquam ab eo deſiderabant, quæ interdum in popularibus deſiderantur. Verum ad id munus eum tempus non diutinum comparavit. A quo ſuſcepto, quamvis aliquam ſemper emendandis, aut perpoliendis Orationibus traderet anni particulam; tamen vacuum ei multum ab hujuſmodi ſtudio, & occupatione ſuperabat, quare & alia egit interdum ab eo munere non aliena. Valuit enim in iis Commentationibus tradendis, quas *ſpirituales* vocitant exercitationes. In quibus cum, præter myſteriorum ſacrorum conſiderationes, ea præſertim, quæ ad chriſtiani hominis officium peragendum pertinent, ſoleant accuratius percenſeri, ut quiſque intelligat, qua in ſingulis præſtandis diligentia ſit uſus; Rinaldus tam partite de virtutibus, earumque oppoſitis, de legibus, & earundem præceptionibus, facile, eruditeque diſſerebat, ut eum omnes haberent cum præſtantem in notandis, animadvertendiſque vitiis, tum in inſtituendo, docendoque prudentiſſimum. Ad quod munus quemadmodum ſæpius evocabatur, ſic aliquando Cottonium, Laudenſis ditionis Oppidum, ab Carolo Ambroſio Mediobarbo Epiſcopo accitus eſt, ut Sacrorum Miniſtrorum in iis, quæ ad eorum partes attinent, ſuſciperet inſtitutionem. Eo autem ſe contulit Petro Sigiſmundo Acquiſtapacio Comite ſibi adlecto, Viro adhuc ſuperſtite, florenti ævo, doctrina, dicendique facultate in id optime comparato. Is ad meditandum argumenta tractabat. Cetera Rinaldus exequebatur. Quare cum eo loci Sacerdotum conventus duo hujus ſe magiſterio prompto animo tradidiſſent, admirati ſunt hominis doctrinam, ſedulitatem, inte-

gritatem, fuitque nemo, qui non sine honestissima de illo opinione discederet.

Præter hæc nullum tempus illi unquam vacabat aut a commentatione domestica, aut a scribendo, aut a cogitando. Neminem enim neque studio, neque industria majore cognovi. Quare in domesticæ Bibliothecæ, cujus quoad vixit præfecturam gessit, volutandis libris perpetuum versabatur, quorum & magnam ipse vim auxit, & optimos comparavit; adeptus enim erat in re libraria, peritiam non sane vulgarem. Verum perpetua ea lectione suam ipse doctrinam amplificavit, & quamvis initio, qui ad scientias maxime acutiores pertinent, libri in summo ei pretio, & amore essent, sensim tamen adjecit animum ad omne genus eruditionis. In qua facultate, cum & ingenio esset ad bene conjectandum parato, & memoria satis posset, nemini erat inferior. Ego sane, qui ab eo studiorum genere nullum ætatis meæ tempus abhorruisse profiteor; magnam habeo ei gratiam, cujus consilio, & cohortatione ita sum erectus, ut ea ediderim, quæ ante annos jam quindecim *de Veteribus Mediolani Ædificiis* evulgavi; quæ quidem cum eo contuleram, neque nisi eo Censore sunt edita. Sed aliud extitit cum summa eruditione conjunctum, quod me potissimum suasore, ne Auctore dicam, & ipse suscepit. Rem ab initio repetam.

Vivebat tum Mediolani clarissimus ille litterarum Mecęnas Carolus Archintus, Vir amplitudine animi, munificentia, ornamentisque doctrinæ, omnibus quidem, qui bonas amant litteras, mihi vero, ob singularem in me humanitatem, præcipue commendandus. Hic cum splendidissimam, & instructissimam Bibliothecam comparavisset, cuperetque Augustini Tor,

nielli, Viri ex meo Ordine illuſtris, Annales Sacros ab Orbe condito Antuerpienſis editionis adipiſci, rariores ſane per hanc ætatem, neque facile inveniſſet; de nova eorundem impreſſione cogitavit: reque cum Philippo Argelato, qui omnem ejus procurationem ſuſcepturum ſe prompto animo profitebatur, cum Laurentio Maffejo erudito Viro tum Mediolani agente, meque etiam communicata, conſtituit Vir nobiliſſimus, quando recens editio adornanda eſſet, ut quam apparatiſſima curaretur, & ornatiſſima. Volebat itaque in Auctorem adnotationes aliquot ſubiici, quæ opportunæ multis locis, neceſſariæ etiam aliquibus fore videbantur. Ejuſdem Vitam conſcribi operæ pretium ducebat, & Scriptorum de eo honeſtiſſima teſtimonia congeri, ut fieri ſolet. Atque ad Tornielli res geſtas quod attinet, ejuſdemque commendationes colligendas, utramque mihi hanc provinciam dederat. Animadverſiones Rinaldo decernebantur, Viro propter ſingularem eruditionem ad id aptiſſimo. Sed initio paullo ſe præbuit difficiliorem: ſentiebat enim de ingenio ſuo longe aliter, quam ceteri, ſeque oneri imparem profitebatur. Nam ipſum Argelatus, quamvis fruſtra, ipſum Maffejus paullo quidem fructuoſius, non ita tamen ut commoviſſet, fuerant cohortati. In hoc ſuam erga me oſtendit benevolentiam; etenim cum ipſum fuiſſem amice admodum deprecatus, rem induxit in animum, ſeque ad opus quamvis arduum comparavit.

Tornielli opus duplici, gravique ſatis volumine continetur, tempuſque univerſum, quod ab condito Orbe ad eundem Chriſti morte reparatum tranſiit, reſque, cum ex ſacra, tum ex profana hiſtoria compertas, ordine omnes amplectitur, ſuis ſingulas annis tri-

tributas, ut gestæ putantur. Mirum est, quot Rinaldus libros perlegerit, quot in hoc ipsum præsenti impendio emerit, quot etiam, quos Amici commodaverant, diligentissime volutaverit. Studium illud aridum, ac difficile Chronologiæ summa animi contentione suscepit. Nonnisi Usserium, Petavium, Newtonum (quanquam ab hujus, quæ Astronomiæ potissimum innititur, supputatione recedendum duxit), Pezronium, aliosque, aut universam eam facultatem, aut partem aliquam tractantes, habebat præ manibus, neque ab opere tam difficili, & longo fatigabatur. Quare in primum Tornielli Tomum volumen animadversionum spissum satis conscripsit non multis mensibus. Aliud paullo copiosius in Tomum alterum anno postero perfectum est. Memini, eum vel in summo æstu diem totam scribendo, & commentando transigere consuevisse. Ego cum ipsum industria convenirem, labori ut parceret tam incommodo tempore, exorabam. Sed erat ille tam patiens, ut quamcumque gravissimæ tempestatis molestiam vix sentiret.

Verum absolutis in Tomum alterum animadversionibus, multa eorum, quæ in Tomum paraverat primum, sibimet probabantur perlegenti minus. Nonnulli etiam, quibuscum opus amice communicaverat, eundem commonuerant, sic eas animadversiones fuisse conscriptas, ut emendare magis, quam illustrare Torniellum viderentur. Quod utrum revera esset, non disputo in præsentia. Erat præterea delicato Ipse ingenio, & limatius amabat scribendi, dicendique genus. Quare, aut universa reficere meditabatur, aut certe plurima emendare. Sed hæc inter cum fato functus Archintus esset, illiusque editionis festinandæ consilium satis, ut accidit, differendo deferbuis-

buisset, nemo autem Rinaldum urgeret, atque ego propemodum in eo cohortando relictus fuissem solus, effectum est, ut ipse, qui a sui ostentatione semper abhorruit, scriptionesque suas abdere magis, quam proferre cupiebat, ab eo prorsus studio calamum continuerit, neque ullam partem expolierit, neque deinceps de edendo opere cogitaverit. Quare duo illa in MSS. Volumina ab ejus morte superfuerunt, optima sane, & omnium Eruditorum oculis digna. Quamquam vero tantus ejus labor fuisset irritus, nunquam est questus: quod significat, non eum nomen, aut gloriolam fuisse aucupatum. Sane is, arbitror, adeptus fuisset honestissimam famam, si animadversiones illas elaboratissimas perfecisset. Dum hæc eduntur, Augustinus Niger, Ordinis nostri Vir, & ingenio, & eruditione præstans, novos in Tornielli Annales Commentarios conscribit, ad eam, quæ Lucæ adornatur, eorundem promulgationem. Hic mihi humanissimis litteris significavit, habere se Rinaldo multam gratiam, Illasque MSS. adnotationes, ad suum hoc tam commendandum opus, non mediocri sibi adjumento fuisse professus est.

At cum Rinaldus nihil homini honestum, nihil præclarum duceret, quod non in summa virtute, Christique Servatoris, qui seipsum semper occuluit, imitatione esset positum, eo tandem consilii venit, ut litterarum studiis ferme omnibus abjectis, in perpetua divinorum meditatione defigeret animum, haberetque libri instar disertissimi Domini e cruce pendentis Imaginem, quam & unicum, & omnium optimum librum asseverabat, commendabatque ceteris, ut evolverent. Ego interim sum Mediolano profectus. Audio autem ab iis, qui interfuerunt, eam ipsum ratio-

nem

nem vitæ instituisse, quæ omnis in Deo colendo, contemplando, exorando fuisset posita; atque hanc annos ante mortem aliquot diligentissime custodisse. Hinc summa in eo continentia exarsit, vitæque austeritas. Flagrabat insuper, Vir ecclesiasticæ eruditionis, priscæque Christianorum disciplinæ peritus, severitatis illius antiquæ, si fieri posset, restituendæ desiderio, & corruptam adeo, atque a primis illis temporibus tam longe dissitam Christianæ vitæ, vigentem nostro ævo, rationem sæpe in familiari sermone, suaviter quidem, toto tamen pectore, detestabatur. Domesticas autem Ordinis nostri institutiones cum solertissima observatione custodiebat ipse, tum ne apud ceteros dilaberentur, in iis sæpe, quæ apud nos habentur, collationibus perorabat: voluissetque tanto omnes religionis consectandæ studio teneri hoc temporis, quanto primævi illi Parentes, Auctoresque nostri, miris quibusdam, totoque orbe celebratissimis significationibus, omnimodam plane virtutem profitebantur. Quæ omnia quamvis contentione animi multa significaret, leniebat tamen nativa quadam facilitate sua, propterea ut neminem irritaret, omnes autem Viri antiquæ disciplinæ studiosissimi voluntatem admirarentur, probarent item, & ducerent amplectendam. Atque eo tandem venerat, ut universam diem, aut in secreto cubiculi sui recessu, aut in Templo ante aras provolutus, supplex, & precabundus exigeret.

Sane ille semper & summo candore morum, & mira vitæ integritate præstiterat. Nulla in eo gloriatio, nulla cupiditas clarescendi. Occuluit se se quantum potuit, & quanquam docti, clarique Viri eum maximi haberent, non tamen aut eorum consuetudinem aucupabatur, aut eandem fovebat accuratius. E-

te.

tenim, ut Carolum Archintum, de quo superius, aliosque mittam non paucos, de eo mecum Theodorus Trivultius, Marchio in primis nobilis, & eruditus, Joseph Antonius Saxius, Vir Clarissimus, faciebant sæpe mentionem; significabant vero, se quoties cum Rinaldo egissent, doctrina ejus fuisse non vulgariter delectatos. In quos erat ille urbanus; sed eos conveniebat rarius. Nec est dubitandum, si eum cupiditas aliqua prodendi se se sollicitasset, quin Mediolani ampliorem longe famam fuisset adeptus. Sed erat ejus mos, quamvis non durus, subrigidus tamen, & refugiens cum aliqua severitate. Hinc amabat in ipsis domesticis laribus solitudinem; & a communi colloquio, quod nobis animi caussa a prandio, cœnaque datur, plerumque aberat; quo etiam abstinebat; ne a crebro sermone, quod facile usuvenit, labem aliquam traheret quamvis minimam. In agendo enim, quanquam non cunctabatur, quemadmodum assolent qui scrupulis agitantur; erat tamen, cum quadam subtilitate, rerum vel minimarum ponderator, facile ut vitaret multa, in quibus nævo aliquo aspergi posse intelligeret candorem animi, quem purissimum custodiebat. Ad hæc, cum natura iracundum se esse sentiret, propterea ab hoc motu, qui facile excandescit, igniculos omnes, & calidum, si ita loqui fas est, cinerem removebat. Quare nonnulla, quæ rusticitatem subolere videbantur, reipsa erant & solidioris virtutis, & accurationis religiosissimæ argumenta. De hoc, Viri in nostro Ordine graves & amabant eum impensius, & colebant; neque alia de caussa *Visitatoris* ei munus est traditum apud nos honestissimum. Edebat enim ea religionis, pietatisque exempla, quibus recta vivendi ratio, ac disciplina maxime

me solidatur. Neque re modo, sed verbis, cum posset, eadem confirmabat. Nam præter communes conventus, & collocutiones, de quibus ante diximus, solebat quotannis novem continentes dies ante natalem Domini lucem verba facere in Sacello quodam domestico, quibus omnium, qui aderant, animos (aderant vero omnes) monitis, atque institutionibus optimis imbuebat, cum pie admodum, tum diserte.

Coluit impense Beatissimam Virginem, eamque ob gloriosam ab omni originis labe immunitatem maxime venerabatur, habebatque Parentis loco, & Patronæ. Ferunt, cum diuturnam quandam, duos ante mortem annos, molestiam ab humani generis hoste pateretur, præsidium ejus perpetuum imploravisse, quo plurimum levabatur. Est in Collegio S. Barnabæ mansio quædam, quam S. Carolus incoluit, cum apud nos, ut solebat, interdum diversaretur. Inest ei lectulus, in quo jacuit, supersunt lodices, & stragula, quibus operiebatur, alia servantur multa, cum in primis illius usu, sacra tum honestissime collocata. Eodem in Cubiculo S. Franciscus Salesius, cum Mediolanum ventitasset, fuit a nostris exceptus. Quędam & hujus vestes in eo sacrario sunt conditæ. Rinaldus elegans Elogium composuit, præ foribus ejus cubiculi affigendum, significans & loci Religionem, & singularem S. Caroli in Ordinem nostrum benevolentiam, quo accedentes monerentur, gratique in ipsum nostrorum animi excitarentur. Neque post multo cum accidisset prægrande marmor detegi, quo super Vir ille Sanctissimus nobiscum abluere patinas consueverat, curavit, conspicuo ut loco, decentique poneretur, addiditque, loculamento ei superinducto, epigraphem accommodatissimam. Hæc quidem leviora qui-

quibusdam videbuntur, quam oporteat in hanc invehi historiam. Verum considerantibus, vel in minimis eminere virtutem, non erunt utique contemnenda; ac nostra magis intererit hæc de præclaro Viro rescire, quam Græcis de Epaminonda, aut saltasse eum commode, aut scienter tibiis cantasse; quæ tamen in ejus gestis visa sunt recensenda, quod Græcus homo, ob eas artes, tota Græcia majori in pretio haberetur.

Hac vitæ ratione usus ad annum ætatis alterum ac sexagesimum, in febrim acutam incidit, qua diligenter quidem a Medicis, sed frustra, curata, imminere sibi mortem persensit. Quare divina sibi ut remedia adhiberentur, rogavit, excepitque Sanctissimum Christi Corpus, Sacroque est oleo delibutus, pari cum constantia, ac religione. In eo gravissimo morbo fundebat preces interdiu, noctuque, & quamvis eum verba, & vox defecissent, in difficillimo, quem trahebat anhelitu, quantum labiis poterat, nitebatur. Hæc inter supremum spiritum fudit Vir integerrimus, desideratusque est Idibus Maii Anno MDCCXLVIII.

Eo mortuo, religiosę quædam Virgines, quibus non multo pridem sacras, ut ajunt, exercitationes proposuerat, quidpiam, quo fuisset ipse usus, postulaverunt, religiosi monumenti loco servandum. Affirmabant præterea, Rinaldum, cum eas paucis ante diebus alloqueretur, se postrema ad eas verba facere, neque post multo se interiturum, asseverasse.

Fuit procero, & subtili corpore, oblongo, ut diximus, collo, exili voce, macilentis malis, & sub oculos sæpe rubescentibus, valetudine tenui, ea tamen, quam victus parcitate sic tuebatur, ut laborem ferret, quamvis non modicum. Nullum ferme exti-

tit ſtudiorum genus, in quo non eſſet ipſe verſatus. Theologiam, & quam contemplatricem vocant, & quam polemicam, & moralem, ſic tenuit, ut nihil magis. Neque minus divinam, eccleſiaſticam, profanam hiſtoriam calluit. Studiis delectabatur antiquitatis. Scribebat latina lingua ſatis commode, italica non impure. Aliquid etiam græcarum litterarum didicerat; & cum illud in Torniellium opus conſcriberet, hebraicas aliquantum excoluit. Delectabatur librorum cujuſcunque generis lectione; neque a Poeſi abhorruit; nam verſiculos interdum fecit, cum latine in primis bonos, tum italice non contemnendos. Hiſtoriam multo pridem philoſophicam edere meditabatur, in quam & multa collegerat, & quædam conſcripſerat. Sed ea ab Ipſo non modo non abſoluta eſt, ſed inſuper ſic neglecta, ut nullum in ejus ſchedis veſtigium repertum ſit illius ſcriptionis.

Dolendum eſt, Virum præſtantem nonniſi libellos quoſdam tenues evulgaviſſe. Sunt autem:

La Vergine trionfatrice del peccato originale.

La ſalute degl' Infermi venerata nell' Immagine di Maria Vergine preſſo S. Barnaba.

La divozione di Maria Vergine con dimeſtici eſempj comprovata.

Opera ejus graviora lucem non aſpexerunt, ſed eo mortuo ſuperfuerunt in MSS., videlicet:

In Auguſtini Tornielli Annales ſacros Volumina duo in fol.

Prediche quareſimali.

Eſercizj Spirituali, Eſami, Sermoni, Panegirici &c.

THO-

(X)

THOMAS FRANCISCUS ROTARIUS

THomas Franciſcus Rotarius Aſtæ, veteri in Ciſalpinis Urbe, natus eſt, [1] gente in primis clariſſima. Is omnibus doctrinis imbutus, quibus puerilis ætas erudiri ſolet, cum in Clericorum Congregationis S. Paulli conſuetudinem veniſſet, a quibus & humaniores litteras didicerat; ſic eorum inſtituta, ac mores adamavit, ut iis cuperet annumerari. Erat ipſe inter Fratres quatuor natu ſecundus, vividus, alacer, expeditus, & præter ſummam oris, ſermoniſque ſuavitatem, ea præditus docilitate ingenii, ac morum integritate, de qua cum ſui multum confiderent, tum noſtri ſperarent maxime. Sed illorum quidem ſpem Deus abſtulit: horum ipſa res ſolidavit. Etenim annos vix natus quindecim, (2) non ſine Matris, lectiſſimæ Fœminæ, mœrore (nam Pater mature deceſſerat), Romam petiit; qua in Urbe cum loca illa religioſiſſima inviſiſſet (erat enim jubilęus annus), Zagaroli, quod Roſpillioſorum eſt, Roma non multum diſſitum, municipium, cum Ordinis habitum ſuſcepiſſet, quanta ſolidítate, atque conſtantia eſſet, paullo poſt demonſtravit. Etenim Fratre ejus natu maximo immatura morte ſublato, is, cui familiæ domi-

(1) MDCLX die 17. Februar. [2] Anno MDCLXXV. Kal. Maji.

minatus, principatuſque obtigiſſet, quamquam contra ſollicitatus, jus omne in Fratrem tranſtulit: ajebat ſiquidem non in paterna, ſed in Dei ſe Domo cupere primogenita. Quod quam libenti animo aſſeveratum fuerit, tempore & reipſa probatum eſt. Deo igitur cum ſolemniter ſe devoviſſet (1), ſic Maceratæ, quo miſſus fuerat, Philoſophiam, Theologiam Romæ perdidicit, ut una ad Populum dicere aſſueverit: nam id Maceratæ quatuor continentes Menſes eſt executus; identidem Romæ: In quo & ingenii ejus felicitatem, & eam, qua cum conſenuit, in id munus proclivitatem licuit vel tum metiri.

Verum confecto ſcientiarum curriculo, non id ei officium obtigit. Miſſus namque Neapolim, anno dein poſtero Maceratam revocatus, Philoſophiam docuit, Theologiam poſtmodum Ticini, Cremonæ, Bononiæ, Romæque ea cum laude, quæ ſummam ubique virtutis expectationem æquaret, plerumque vinceret. Sed cum in ea maxime ſtudia intendiſſet animum, quæ multorum in primis utilitati conducerent, ſe ſe ad eam Theologiam applicuit, quæ mores hominum ſpectat, compoſuitque eum librum, quem *Apparatum Theologiæ Moralis* inſcripſit, tam brevi per omnem Italiam vulgatum, tam crebro recuſum, ut plane is confirmet, quantum in ſcribendo valeat brevitas, ordo, perſpicuitas, quibus ſane virtutibus opus id antecellit.

Poſt annum, quam magiſterium cęperat, viceſimum quartum, finem docendi fecit, ac Roma Bononiam iterum commigravit (2). Habent hic Noſtri Ordinis Viri officium pervetus, quod iis Gabriel uſque

(1) Die 8. Septemb. MDCLXXVI. (2) Anno 1704.

que Paleottus decreverat, cum sacra hujus Urbis moderaretur, Alfonsus dein Paleottus detulit: Pœnitentiarii munus vocant. Eos enim excipere, qui crimina præsertim graviora expiaturi accesserint, suarum est partium. Sed & alia multa exequuntur, in quibus, initiandorum doctrinam experiri, non est postremum. Rotarius, cum hoc Virorum Collegium regeret, & studia muneribus semper accommodaret, aliud opusculum edidit, cui titulus: *Apparatus promovendorum ad Ordines, & Beneficia*, opportunitati, necessitatique appositum ut cum maxime. Nam id expetebant jamdiu plurimi, nemoque antea tam digeste, tam facile, per interrogationes, ac responsa, cum tanta copia tantam complexus fuerat brevitatem.

Sed Rotarium Virum omnibus accomodatissimum, præstantiora in dies munera evocabant. Quocirca Idelphonsus Manarius Clarus Orator, qui tum universæ Congregationi preerat (1), Vir prudens, Virorumque optimorum Cognitor, cum Rotario commisisset Romani Collegii Præfecturam, eamque perspiceret Viri sagacitatem, integritatem, alacritatem, quæ non florerent modo, sed eminerent, de eo universo Ordini præficiendo cogitare cœpit; quod post annos deinde tres tanta omnium consensione perfecit, ut eorum, quibuscum ageret, animos ipsum Rotarii nomen, quod late increbuerat, commendatione omni longe acrius incitaret.

Anno itaque ætatis suæ quinquagesimo [2] supremum regimen adeptus, in omnibus fuit singulari prudentia, atque constantia. Nihil ei difficile accidit, nihil

(1) Is cum iterum Congregationi præpositus esset (Rotarium enim excepit), Bobiensis Antistes a Clemente XI. P. O. M. decretus.
[2] MDCCX.

nihil inopinatum, nihil ambiguum. Nam & de instantibus [quod de Themistocle ajebat Thucydides] verissime judicabat, & de futuris callidissime coniiciebat, nec quæ opus essent, quamvis ardua, detrectabat, nec quæ proponerentur, quamvis gravissima, cunctatione cum aliqua definiebat. Disciplinæ in primis tenax, ejusdem servandæ caussa neminem verebatur, nemini, quamvis summo Principi, facile obsequebatur. De quo cum exempla afferri possent multa, nihil tamen, nisi generatim, proponemus. Ajebat enim, si forte in Præfecturis, vel Magisteriis distribuendis commendationes illustrium Virorum intercessissent: *Virtutem omnium optimam esse commendationem; qui hac careat, nullis commendationum officiis augeri; qui potiatur, non indigere; eorum se habiturum rationem, quos virtus maxime commendaret.* Quod si Viri illi, qui studium, officiumque suum interposuerant, non huic satis responsioni acquiescerent; vel nihil respondebat amplius, vel, si summi Principes essent, insinuatione usus, id unum reponebat: *Indignos præfici, sibi esse piaculum: Id si criminis susciperent in se ipsi, quos mallent, se electurum.* Hac responsione fiebat, ut vel nullam præterea commendationem interponerent; vel ut rogarent, ne præficeret, quos commendaverant. Quod aliquando Clemens ipse XI. fecit supremus Pontifex sapientissimus, hominis constantiam, libertatemque admiratus.

Hac moderandi Ordinis ratione utens, cum eumdem invisere decrevisset, universam primum Italiam, perlustravit, mox Allobroges, in quorum regionibus Nostrorum Collegia sunt quædam; anno dein postero, per Provinciam, in Galliam profectus est. Hoc in itinere, in quo annum consumpsit ferme integrum, mul-

ti

ti sunt ei honores a Principibus Viris adhibiti, sæpe a Magistratibus habitus perhonorifice, sæpe ab Episcopis humanissime exceptus; nam Italum hominem, doctum in primis, nobilem, eloquentem, alacrem, mirum est, quam Galli, ut pro eorum more sunt urbanissimi, libentissime complecterentur. Rotarius nemini deerat, omnes conveniebat, excipiebat omnes, & ut interdum Galli illi Theologi cum nostrate quæstionem aliquam serere avebant, iis satisfaciebat erudite in primis, & expedite. Sed Lutetiæ Parisiorum, Legatorum ritu in aulam inductus, ab Rege ipso Ludovico XIV habitus est perhumaniter. Sedebat in Sella Rex, aulæo, pulvinoque substrato; Principes aderant consanguinei, Cardinales quidam, Exterorum Regum Legati, Proceres propemodum innumeri, Aulicique. In summo illo cętu Rotarius verba ad Regem habuit nativo sermone accommodatissima. Ante enim interrogatus, qua lingua eum esset allocuturus, quamquam gallicæ non esset nescius, delegit tamen italicam, quam sibi intelligebat tutiorem multo, atque promptiorem fore in tanta loci majestate, qua commoti quamplures, in ipso orationis exordio defecerant, ut ex multis acceperat. Rex hominis eloquentia, & alacritate mirifice delectatus, partite admodum, gallico sermone, comiterque respondit, nec sine animi significatione honestissima, regali mensa donavit. Hanc ei gratiam cum virtutis ejus opinio conciliaverat, tum prospera admodum opportunitas. Nam Victorius Amædeus Siciliæ tum Rex, Cortantii Comite, clarissimo, strenuoque Viro, Rotarii nostri Germano Fratre, Legato in Galliis usus fuerat non multo pridem, cujus & memoria erat ibidem suavis, & inita cum multis, potissimum vero cum Tursio Regio-

rum Administrorum Principe, familiaris admodum consuetudo.

Verum hoc in itinere, quod ei faustissimum accidit, non partium modo suarum muneri, verum etiam religioni indulsit suæ. Nam & apud Massiliam D. Magdalenæ antrum celeberrimum, & Lugduni D.Bonaventuræ, D. Thomæ Aquinatis Tolosæ, corpora est veneratus. Qua ex peregrinatione vel eo sibi visus est rediisse felicior, quod loca ea sanctissima coluisset. Sane de iis vel in summa senectute libenter multa commemorabat.

Restat, ut quæ, eo Congregationem moderante, memoratu digna acciderunt, attingam, quorum primum est Sinensis expeditio adornata. Adornata, inquam; nam nonnisi annis post quinque (1) peracta est, Philippo Petruccio nostrarum rerum potiunte. Sed rem ab initio repetam.

Clemens XI., Pontifex Max., ac Sapientissimus, cum de Sinensium ritibus multa ante sanxisset, quæ in morem induci, servarique vellet ab iis, qui Christianam Religionem apud eas Gentes profiterentur; aliæ vero de rerum successu, atque aliæ opiniones vigerent, neque illinc satis consentientes nuncii ad ipsum venissent, Legationem eo decrevit honestissimam, qua & rei veritatem perspectam haberet, & si qua vetita agerentur, Legati præsentia, & auctoritas emendaret. Dum Legatum designat Pontifex, Congregationis nostræ Præpositum accersit. Velle se Viros ex Nostris aliquot Legato in Sinas proficiscenti socios adiicere: Id se consilii cepisse, quod nostros ducat æqua voluntate homines, nullo certo studio cap-

(1) Anno 1719.

captos, nulli diffidentium partium faventes, nullique infensos: Imperat eorum numerum deligi, qui aptissimi habeantur. Rotarius gratias Pontifici egit, quam potuit maximas, voluntateque ejus per Italiæ Provincias significata, eidem quantocius obtemperavit. Sed mirum est, quam multorum animi exarserint, quamque multi ejus demigrationis peterent societatem. In tanta postulatione, cum, propter multorum amplificandæ Religionis studium, summam ipse capiebat voluptatem, tum neminem decernebat. Quod prudentiæ fuit in primis. Sciebat enim, non omnium voluntates fore semper tam acres, & paratissimas; propterea quorum constantissimæ essent, tempore ipso metiri potuit. Nonnulla item erant, quæ legationem differri in tempus posterum requirebant: Dona magnifica, quæ parabantur; Musices, Mechanicæ, Mathesis, aliarumque artium periti homines, quorum agmen describebatur; nam hos Clemens ad Sinensium Regem decreverat, quem sciret his maxime delectari. Atque istorum cum alii cooptarentur, alii defecerant, quos difficillimi itineris, ac regionis longissime dissitæ opinio ipsa absterrebat. Alia erant insuper, quibus profectio in dies retardabatur. In hac Rotarii cunctatione studiosa cum multorum incaluit voluntas, tum nonnullorum refrixit. Tum ille Pontifici nomina eorum præbuit, qui sibi aptissimi viderentur: quorum ex numero quinque primum delecti sunt Viri probatissimi, quorum tamen duo non sua, sed Pontificis voluntate, constituto tempore non demigrarunt, aliis deinde, Petruccio Præposito, in eorum locum suffectis. Eos inter, quos Pontifici Rotarius maxime commendaverat, Philippus fuit Cesatus Patria Mediolanensis, Honoratus Ferrarius Vercel-

 len.

lensis, Alexander de Alexandris Bergomas, qui tres quidem profecti sunt. Priores duos, post depositam a Rotario Præfecturam, Romam præ ceteris accersitos, Sapientissimus Pontifex ante annum circiter, quam Ambrosius Mediobardus, Patria Ticinensis, Antiochenus Patriarcha, Legatus delectus discederet, ad Sinarum Imperatorem ablegavit, decretæ ad eum Legationis nuntios, Apostolicis litteris munitos (1); qui longissima, ac difficillima navigatione vix tandem in id Regnum cum appulissent [2], non sine gravissima rerum vicissitudine Mediobardi adventum sunt præstolati. Verum de Sinensi expeditione, quæ nostri instituti non est, haud plura. Cesatus post Legati reditum in Europam, in Conchinchinam profectus, strenue rem Christianam ibidem gessit; cumque Nabucensis Episcopus designatus jam esset, præreptus morte (3), eam dignitatem Alexandro administrandam reliquit: Nam hic, audito Romæ Cesati obitu, ea est infula a Pontifice insignitus, & Vicarius præterea *Apostolicus* iis in regionibus destinatus [4]. Vixit hic ad annum MDCCXXXIX. Ferrarius, ut & de ipso dicam, respirandi difficultate, quo morbo jam pridem laborabat, sic in Sinis est conflictatus, ut Medicorum jussu, anno post discessum sexto, Europam reviserit. Vercellis vivit vel nunc anhelans. Atque hæc de tribus iis, qui Rotario Congregationis Præposito delecti sunt. Duo postmodum adjecti, hi fuere: Salvator Rasinus, Sigismundus Calcus. Rasinus cum Alexandro in Conchinchinam profectus, ejus adjutor exti-

tit

(1) Datæ fuerunt Romæ die 30 Januarii ann. 1719. Illi Roma profecti die 5 Februarii. (2) Die 24 Augusti 1720 Cantonum; 13 Octobris Pechinum tenuere. (3) Ann. 1725 die 2 Aprilis. (4) 1727 die 18 Maii initiatus Episcopus.

tit ad annum MDCCXXXVI quo morte desideratus est [1]. Calchus, Vir in primis nobilis, eruditus, & antiquæ virtutis, Mediobardi jussu cum e Sinensi se Regno in Peguanum transtulisset [2] tantam ab eo Rege gratiam iniit, ut is & Christianæ Religionis promulgationem, & condendæ Domus, sacrique Templi locum regia plane liberalitate concesserit, ut in ejus Vita relatum est. In Regnum illud difficillimum alii deinceps ex nostris demigraverunt, de quibus, ne sim longior, non vacat hoc loco dicere. Peto ab iis, qui hæc perlegunt, cum paullulum ab Rotarii historia aberraverim, ne succenseant. Hæc enim narratione digna cum habeam, intrudi in hanc malui, quam nemini comperta funditus obliterari.

Eo præterea Rotarii magistratus, imo ipse Rotarius, inclaruit, quod Alexandri Saulii Sanctissima gesta, multo pridem in Romana Curia forensi more discussa, sed nonnullis de caussis prætermissa, ad trutinam denuo revocarentur. Illud enim interpositum incommodi fuerat, quod cum Vir ille Beatissimus Testamento usus sub mortem esset, neque tabularum hujusmodi exemplar, quamvis conquisitum, exhiberi Judicibus potuisset, hærebant res adeo, ut nisi hæ proferrentur, caussa cecidissemus. Sed eam Deus laudem Rotario reservaverat, quam ceteris detrectavisset. Rotariorum familia fuerat semper Alexandro Saulio quam addictissima. Etenim Calotii, quod est oppidum aviti juris Rotariæ gentis, eorum Domi hospitatus, spiritum exhalaverat beatissimum: cujus sanctitatis fama permoti, jam tum lintea, quæ super decubuerat, religiosissime custodierant; cubiculum ibidem sacri instar

[1] Die 23 Julii. (2) die 3 Octob. 1721.

ftar loci obfervabant. Nofter, qui familiarem in Saulium religionem combiberat, vel eo diligentius in eas tabulas inveftigavit; factumque eft, ut non Calotii quidem (propterea enim omnium diligentiam fugerant, quod femper Calotii fuerant expetitæ), fed finitimo quodam in pago earum *autographum*, Deo aufpice, reperiretur. Recreavit hoc mirifice omnium animos; ac deinceps ita res inftauratæ, ut tandem Benedicti XIV, quem grati animi cauffa perpetuum memorabimus, immortali beneficio, eumdem aris adjectum lætiffimi veneremur. Atque hæc de fuprema Rotarii præfectura dicta fint fatis.

Hac depofita (1), Bononiam in D. Paulli Collegium fe recepit, feque in ftudiis totum abdidit moralis Theologiæ, qua potiffimum eorum complectitur officia, qui religiofæ vitæ inftitutis fe dediderunt. Impofuit enim fpiffo cuidam Operi fupremam manum, quod Romæ inter graviffimas occupationes compofuerat, tribus digeftum voluminibus; atque hoc, *Theologia Moralis Regularium* præfixo nomine, primis Lelii a Vulpe typis evulgavit. Hic tamquam in portum appulfus ab omni deinceps gubernatione conquievit: nifi quod anno MDCCXXXIII domicilium hoc fuum moderari juffus, rexit ad annum MDCCXXXIX, quo eum ipfe excepi. Sed dum memorati Operis evulgationem urgeret, (2) officium fufcepit apud nos ufitatum, quo quis diebus feftis a meridie divinum aliquem librum populo familiariter admodum, planeque exponit. Id munus ab eo anno cœptum ad poftridie Idus Septembres anni geffit MDCCXLVIII, qua die feriari folent ad Kal. Novembres, qui in eas

præ-

(1) Ann. 1716. (2) Ann. 1719.

prælectiones incumbunt. Ceterum, nisi interea fato functus esset, non id ipse deposuisset; quocirca non eum bona in populum voluntas, sed vita deseruit. Mirum enim est, quanta cum voluptate triginta annos dixerit, quanta tam longævus cum alacritate. Etenim, etsi annum attigisset undenonagesimum, quamquam rogatus ut paullum ætati consuleret, laborique parceret, non acquievit. Ajebat enim, *si quid meritus perpetuo labore videretur, sibi labore ipso rependerent: Deum rogare, cum ea valetudine uteretur, qua labori ferendo esset impar, laborem una, vitamque tolleret*: cujus quidem voti reus plane decessit. Verum & infra memorabimus, quam is fuerit laboriosus.

Atque id potuit, quod nihil unquam habuit inertis, ignavæ, somniculosæ senectutis. Habitudo corporis firma, vis alacris, vox constans, stomachus vigens, color vividus, & oris, quanta seni inesse possit, elegans pulchritudo; non oculus caligans, non manus vacillans, non dens evulsus. Illud merito usurpaverimus de Moyse elogium: *Non caligavit oculus ejus, nec evulsus est dens de ore ejus*. Gangrænam aliquando in crure contraxit; sed quoniam ea valetudine præditus videbatur, quam nihil afficeret, tam brevi convaluit, ut Medici merito sint admirati. Verum id Rotarius repetiit aliunde procul. Nam cum S. Peregrino Latiosio seque, & eam curationem enixe commendavisset, ei sibi Medico gratiam habuit. Ut ut res fuerit, sane ipse tantam soliditatem duobus maxime conservavit; ambulatione quotidiana, rerumque, quas ageret, æquo semper ordine, atque constanti. Exercitatione autem fiebat, ut a pituita, qua vel in primis abundabat, pectus, faucesque excreando levaret, quod corpori conducebat; constantique re-

rum

rum ordine sic afficiebatur, ut nulla eum perturbatio incesseret, quod mentis alebat perpetuam alacritatem.

Hic locus postulat, ut aperiam, qua ratione res suas, diemque digereret, ut appareat, perpetuam ejus in studendo, orando, inambulando fuisse occupationem. Diluculo, cum evigilasset, in Templum veniebat, aras colebat singulas, quas ordine adibat; deinde cum ceteris conveniebat salutatum Deiparam Angelica valedictione, quod primo mane nostri est instituti facere. Tum meditatum divina secedebat, sanctamque Deo hostiam cum religiosissime immolavisset, ternas, quaternas horas studio, librisque dabat. Dehinc diurnas precationes cum recitasset (nam matutinas superiori semper die præverterat), curando corpori indulgebat. Deinde familiari colloquio, quod a cibo facere nostri instituti est, cum animum relaxaret, erat in primis eloquens, & comis. Sæpe narrabat multa festivissime, nec urbani sales deerant, nec lepores, suavesque interdum ex industria, assutæque laciniæ; propterea ut omnes miraremur in tanta gravitate tantam hominis hilaritatem. Mirum erat, cum eadem recineret, quod faciebat interdum, quam omnia eodem ordine, iisdem adjunctis, iisdem cum salibus renarraret, quod & ejus memoriam, qua semper maxime viguit, & fidem commendat. Cum esset relaxationi finis impositus, iterum in Templum se recipiebat. Orabat primum ad aram maximam, Sanctissimum Christi corpus adorans, S. Philippo Nerio, cui erat addictissimus, Beatissimæ Virgini, D. Carolo, B. Alexandro Saulio fundebat preces. Post hæc, æstate tantillum quieti cum indulsisset (hieme, hac seposita) vespertinum pensum solvebat, dein in communi con-

ven-

ventu sancta iterum meditatus, posteræ diei matutinas preces antevertebat; tum ambulatum prodibat in vesperam. Domum reversus, in Templo orabat iterum (hieme ad tertiam noctis horam versabatur in studiis), refectoque corpore, ceterisque more nostro absolutis, somno denique indulgebat. Hæc fuit perpetua, & constans ejus vitæ ratio, quam nunquam, aut nunquam ferme immutavit.

Sed quoniam de ambulatione ejus quotidiana paullo ante diximus, illud memoratu dignum est, sic ea semper fuisse usum, ut non valetudini modo, verum etiam religioni consuleret. Loca enim sanctissima adibat, cum ibidem vel Sanctorum festa agerentur, vel sacræ pœnarum relaxationes, Summorum Pontificum indulgentia, concederentur: quare religiosus aliquis locus terminus erat consuetæ illius ambulationis. Sed coluit in primis B. Virginis *lacrymosæ* fanum extra Romanam Portam, quod Carmelitæ tenent B. Theresiæ institutis parentes, propter loci cum distantiam non perbrevem (siquidem mille passuum amplius distat a D. Paulli Collegio) tum solitudinem, ac munditiem exquisitissimam. Atque huc veniebat ferme quotidie. Hic autem prolixa oratione horam circiter transigebat. Interdum optimos eos Viros alloquebatur, quibuscum summam contraxerat familiaritatem. Alia insuper ei fuerunt loca cultissima, quorum singula non præstat enumerare. Sed Templum illud Beatissimæ Virginis in monte situm, quem D. Lucæ vocitant, apud nos celeberrimum, tam libens adibat, ut singulis mane sabbatis conscenderet, quod viginti fecit continentes annos: provecta tamen ætate est prohibitus, quæ tam gravem non ferret ambulationem. Quam autem B. Virginis studiosus fuerit, dicam inferius.

In hac vitæ ratione mirum non eſt, tanta eum conſtitiſſe virtute, atque ſapientia. Ac doctrinæ quidem ejus, præter opera, quæ eum mirifice illuſtraverunt, illud eſt argumento, quam multi omnium Ordinum Viri, & quam crebro eumdem dubiis in rebus conſulerent. Conveniebant eum ſæpius qui Religioſorum hominum ſanctiſſimos cœtus moderantur, Carthuſiani interdum, Camaldulenſes Eremi incolæ, auſterique Ordinis, quem *Capuccinorum* vocant, Moderatores. Hos inter Bonaventura Barberinus clarus Orator, cum hanc ejus cœtus provinciam regeret, eum ſibi Theologi loco decreverat, quicum perplexa conferens, cuncta dein ex ejus ſententia conſtituebat. Hic poſtmodum Ferrarienſis Archiepiſcopus extitit, nec ſine præclara Sanctitatis fama deceſſit. Mitto, quanti eum Jacobus S. R. E. Cardinalis Boncompagnus fecerit, quoad vixit; eſt enim mihi inſtar omnium Sanctiſſimus Chriſtianæ rei Arbiter Benedictus XIV. Pont. Opt. Max., qui Rotarii doctrinam tanti habuit, quanti & verbis ſemper, & ipſa re demonſtravit. Etenim cum eam condidiſſet plenam doctrinæ, & eruditionis de Divino *Miſſæ* Sacrificio tractationem, quam typis deinde imprimendam tradere meditabatur, eandem ante cenſuræ illius, emendationique ſubdidit; cumque Opus evulgaretur, de Rotarii probitate, atque doctrina teſtimonium luculentiſſimum interpoſuit. [1] Quo quid præſtantius in tanta divini illius Vi-

(1) Illud hic loci exſcribendum duximus. Sic autem habet. *Part.* 4. *ſec.* 2. *num.* 43. „ Dopo aver già compoſto queſto punto della cele„ brazione delle due Meſſe, abbiamo fortunatamente ſteſa la „ mano al tomo 3. della Teologia Morale de' Regolari, Ope„ ra del P. D. Tommaſo Franceſco Rovero Chierico Regolare „ Barnabita, ed abbiamo ritrovato nel lib. 1. del detto tomo 3.
„ al

Viri amplitudine, atque sapientia? Verum in summa doctrinæ fama nec sibi nimium arrogavit umquam, neque minus a studendo destitit, neque ita studiorum suorum rationem adamavit, ut alienam (quod nonnulli hac tempestate libere faciunt) improbaret. Sed hi sunt, qui bonarum literarum expertes nihil rectum, nisi quod eorum studiis conveniat, existimant. Non sic Rotarius egit, qui sane quanquam iis temporibus, quibus scientias professus est, longe dissimilem a præsenti studiorum ratione & rerum, & tractationum seriem tenuisset, tamen vel in summa senectute, si quando opus esset, quæstionibus, librisque operam dabat, qui in præsenti Theologia tractantur, præsertim ut Adolescentes, argumentando, ac disceptando, domesticis disputationibus exerceret. Igitur cum in studendo tantum temporis insumeret, quantum superius memoratum est, & ea, quæ retulimus, doctrinæ suæ monumenta edidit, & alia insuper multa, quorum omnium in calce catalogum attexemus. In his tria sunt de Vita Christi volumina, quorum edendorum caussa, superiore, ante quam mo-

„ al capo 2. punt. 11. avere il detto Religioso trattata la stessa materia, ed essere il di lui sentimento in tutto, e per tutto conforme a quanto di sopra abbiamo detto: il che è stato di nostra grande consolazione, per la stima particolare, e distinta, che abbiamo di quel degnissimo Soggetto, tanto benemerito della sua Congregazione, che ha saviamente governata in qualità di Proposto Generale; tanto benemerito della Republica litteraria; per le utili opere da esso date alle stampe; tanto benemerito di questa nostra Diocesi, avendo per essa tanti anni affaticato come uno de' Penitenzieri della Metropolitana, ed a cui professiamo distinte obbligazioni per la fatica, che non ostante la sua grave età, ed i laboriosi impieghi, adempie per beneficio di questo nostro Popolo, di rivedere, e correggere questa nostra presente opera. „

reretur anno, Venetias adiit vel tam longævus, quæque Balleonianis typis paullo post eum mortuum sunt evulgata.

Virtutes vero ejus complecti brevi sermone vix possumus. Cum enim modestus in primis esset, ac facilis, nihil insolens, nihil gloriosum ex ore ejus excidit. Omnes verebatur, honorabat omnes, & quamvis tanta auctoritate polleret, tantaque doctrina, nullum sibi judicium arrogabat, mallebatque res dubias aliena citius, quam sua, sententia dirimi. Quotquot habuit, post depositam Ordinis Præfecturam, Collegii Bononiensis Præpositos, omnibus officiis excoluit, omni obsequio prosequebatur, nec nisi eorum facultate aut expendebat aliquid, aut grave aliquid suscipiebat. Si quid constituissent, quod ipsi probaretur minus, prudentissime dissimulabat. Ex quo & eum Præpositi colebant impensius, & summa animorum consensione res agebantur. Ut de me eloquar, qui post ejus præfecturam, eam nactus fui moderationem, quamvis non persimili ratione uterer, sic tamen ab eo semper habitus sum humaniter, ut nihil supra. Ego eum tanta sum benevolentia prosecutus, quantam hæc vitæ ejus qualiscumque scriptio significabit. Verum non eis modo, qui eminerent, sed & ceteris semper indulsit: comis adeo, affabilis, humanus vel in Ordinis nostri homines, qui famulatui addicti sunt, ut quibusdam fortasse nimius videretur. Sed non est in eos charitas improbanda, Rotarii vero longe minus. Sed mittamus hæc. Profecto Rotarius sic se omnibus accommodabat, ut omnibus esset gratiosus; eumque cum æquales diligerent, tum Adolescentes ipsi sermone ejus, & consuetudine mirifice delecta-

ſtarentur. Cujus rei illud eſſe teſtimonium poteſt, quod aliquos ante menſes, quam moreretur, cum in morbum incidiſſet, cujus cauſſa, ut eum ceteri diligentiſſime caverent, Medici admonuiſſent; omnes tamen, qui in Rotarium optime animati eſſent, nihil verentes, ſic antiqua in eum charitate uſi ſunt, ut multi pruriginem quamdam contraxerint, a qua non niſi aliquot deinde poſt menſes convaluerunt.

Hac ejus facilitate fiebat, ut a ſimulatione, aſtuque abhorreret; verſutiam vero omnem, aulicaſque artes funditus ignoraret. Nemini aſſentatus eſt umquam, nullius captavit benevolentiam, nemini palpatus eſt. Quæ ſentiret, vel reticebat prorſus, vel libere admodum profitebatur. Amicitias neque diligentius exquiſivit, neque impenſius coluit. Ut primum ſe Roma Bononiam tranſtulit, multam cum nobilibus quibuſdam Viris inierat familiaritatem; ſed cum hanc ſtudiorum ſuorum rationi minus conſentire intelligeret; in quotidiano autem ſermone quædam acciderent paullo dicta liberius, quam ipſe neque emendare urbane, neque utiliter poſſet, ab ea ſe ſocietate ſemovit. Dehinc nullius domum adiit non rogatus. Neque eo minus ſociabilis, aut minus urbanus erat, ſed quamquam a ſocietate non abhorreret, ruſticitatemque refugeret, nunquam tamen ſtuduit ut facilis videretur, vel officioſus; nec ſine alicuius poſtulatione, ſive auxilii, ſive officii cauſſa ſe protulit. Illud inſtar omnium eſt, quod anno accidit MDCCXLIII, quo Carolus Emmanuel Sardiniæ Rex cum copiis Bononiam venit. Is cum duo illa, quæ in Templo noſtro ſunt, ſimulacra regiis oculis vere digna ſpectatum veniſſet, noſque eum, ut fit, ſtiparemus omnes, in quibus Rotarius aderat, tantum abfuit, ut ſe Regi obtenderet, quod plu-

pluribus facere nominibus potuisset, ut Rex ipse, qui Adolescens Fratrem ejus Institutorem nactus fuerat, eumdemque Taurinensi arci praefecerat, me sciscitatus, an Rotarius adesset, eidem, qui tum emicuit, se praebuerit humanissimum, verbisque suavissimis eundem sit allocutus.

Sunt insuper qui affirmant, eum supremo magistratu perfunctum, propterea non in aliqua Cisalpinorum Urbe domicilium, sed in hac statuisse, ne scilicet cum Germani illic Cognatique ejus, Viri omnes praeclari, auctique Regiis honoribus, versarentur, illorum ipse consuetudine, quam evitare vix posset, emolliret animum, aut ab ea simplici, candidaque, quam semper tenuerat, utendi ratione descisceret. Nec desunt, qui eum fuisse dicant, si aulicorum moribus paullo indulsisset, sacrae infulae honoribus honestandum. Quod quidem divinando dicunt. Nos nihil conjectantes illud monemus, & eo semper animo Rotarium extitisse, quem ab omni vacuum cupiditate servaret, neque ab iis minus, quae a cupiditate proficiscuntur, artibus abstineret. Sane eadem de caussa nihil ei splendidum, nihil sumptuosum fuit, nihil non humile in externo cultu; cubiculum simplex, supellex tenuis, subdurus lectulus, res omnes exiguae. Neque cum ei dignitatis facta esset accessio, quidquam de usitato cultu vitaeque consuetudine immutavit.

Nec minori rerum, quam voluptatum parcitate usus est. Ajebat enim, *corpori indulgendum non esse, hujus nisi vis contundatur, idem animo reluctari: Id esse vexatione aliqua opprimendum, quo in eum mens facilius dominetur*. Quod quantum re ipsa perfecerit, praeter ea, quae superius commemorata sunt, ejus prae ceteris con-

confirmat perpetuum litterarum ſtudium, perpetua in iis, quæ æternam hominum ſalutem ſpectant, exercitatio. Etenim cum ſcientias ipſas profiteretur, ſive pueros chriſtiana inſtitutione erudire, ſive ad populum verba facere, ſive eos, quos peccatorum pęniteret, excipere, ægrotos inviſere, animam agentibus adeſſe, aliaque id genus exequi innumera, non ſecus tum vigens, quam effętus deinceps, ac tam annoſus, in more habuit. Sic autem in iis ſtudiis verſabatur, ut dum nova conſcriberet, nova itidem moliretur. Solebat enim dicere, *malle ſe, tempus labori deeſſe, quam laborem tempori*. Quod cum alias ſæpe, tum audivi dicentem ſex ante annos, cum Opus illud in tanta ſenectute ſuſcepit, de quo ſuperius, *in Vitam Chriſti*, & *Mariæ*, cui quidem labori non vita ejus defuit. Sed & aliud in D. Paulli geſta, & epiſtolas cœperat, cui abſolvendo ſupereſſe tempus, vitæ, mortiſque arbiter Deus, prohibuit.

In tanto autem labore vix animum feſtivo aliquo ſermone recreabat, de quo meminimus. Ruſticatum ſi conceſſiſſet, a quo & plerumque abſtinuit, eo ſe pedes conferebat, quamquam ſeptimo interdum ab Urbe milliario (quemadmodum mons Clarius Bononia diſtat) eſſet incedendum. Illud inſtaurandis viribus habuit quam accommodatiſſimum, quoque ad triginta annos uſus eſt, Lauretanum iter, de quo paullo poſt ſumus dicturi. Neque magis reficiendi corporis fuit ſtudioſus. Nam quamvis ſtomacho valuiſſet ſemper, tamen ea ſobrietate utebatur, quæ vim ſervaret magis, quam recrearet. Nullum appetiit obſonii genus exquiſitum; appoſitum vero libabat magis, quam deguſtaret. Olera, legumina, acetaria, aliaque id genus, ne ſenex quidem, niſi Medicorum juſſu,

reli-

reliquit. Neque vero ignorantia bonarum rerum, ſed virtute, illa potiſſimum ſumpſiſſe arbitrandum eſt. Jejunavit ſemper, non omnibus modo diebus, quibus id, ſive præcepto Eccleſiæ, ſive Ordinis noſtri lege præſcriptum eſt; verum & quandocunque ad Populum dicturus eſſet, nihil niſi veſpere ſumebat; nam prandium, potionis indicæ [cochleatam vocant] cyatho ſupplebat. Omnes quidem tantam longævi hominis inediam mirabamur, quam ſtomachi ejus robori dabamus, dandam fortaſſe abſtinentiæ, parcitatique ſtudioſæ.

Supereſt tandem, ut de ſingulari ejus Religione dicamus, quam, etſi quamdiu vita vixit, excoluit; hic tamen a nobis poſteriori loco ponitur tanquam pro Corona. Atque ille Deum ſemper, ac divina ſic coluit, ut, quam puer hauſerat, eandem in extremam ætatem pertraxerit integerrimam pietatem. Sic ſemper ſacra tractavit, ut oſtenderet, ſe probe intelligere, iis Deo honorem adhiberi. Neque enim aut Templum adiit, aut preces fudit, aut religioſum aliquid egit non in primis compoſitus, aptatuſque, quantum poſſit divinis homo congruere. Rem ſacram agere nec itinerans deſtitit, cui ſanctiſſime dabat operam, & a qua reliquas diei occupationes auſpicabatur. Atque in ea quamquam ſolers, apprimeque ſtudioſus; non erat tamen prolixior, quam par eſt, niſi quod in legendo ætate paullum retardabatur. Et quoniam de mira Sacerdotii ejus religione dicimus, non id præteribo, quod quamquam nonnullis leve viſum iri putem, narrabo tamen, non ut rei fidem conciliem; ſcio enim hujuſmodi rebus non faciles præberi aures a ſapientioribus; ſed ut hoc pariter, quod de Rotario ſæpe mihi narratum eſt, ſi qui legerint, ex me habeant, quamcumque ei

fidem

fidem ſint habituri. Quidam, cum domo prima luce prodiiſſet, hominem obvium habuit, Parenti ſuo, triginta ante annis mortuo, ſpecie tenus quamſimillimum. Huic tacenti primum, ſpeciemque illam avidius conſideranti: *Fili*, inquit, *Patrem vides ipſum. Siccine me ex animo funditus obliteraſti tuo?* Filius ad hæc, nihil territus, ecquid vellet, petiit. *Pœnis ſcilicet, ut me quam primum eximas.* Ille res ſuas vocare tenues, & inopiam amplificare. Cui Pater corripientis in modum: *Non opus eſt multis. Ad D. Paulli ædem pergito. Homo ille ſenex, ſacrum qui facere primus aſſolet, mei ut cauſſa faciat, ſtudeto. Sic mihi conſultum ſatis.* Hæc dicens evanuit. Homo ad nos venit propere. Rem ordine omnem narravit; cujus fidei non ſane me vadem ſiſto: ſcio tamen ab omnibus, neque iis nimium credulis, non fuiſſe neglectam. Rotarius admonitus, ut cujuſdam rogatu ſacrificium offerret, rei neſcius, obtemperavit; quam cum poſtmodum intellexiſſet: *Conſcius*, inquit, *curaſſem paullo ut rem ſacram facerem religioſius.*

Nec agens modo, ſed eloquens ſingularem exhibebat, qua in res divinas tenebatur, animi propenſionem. Cum enim ſacræ haberentur, conſtitutis apud nos temporibus, collocutiones, ſic dicens afficiebatur, ut totus commoveri, & prope collacrymari videretur. Cum autem fidei, ſpei, charitatiſque in Deum ſuæ crebra teſtificatione mentem, animumque exerceret, earumdem profitendarum formulas quaſdam compoſuerat, quas e ſuggeſtu identidem pronuntiabat, populumque ſuccentorem eſſe hortabatur; quas formulas pro varia item opportunitate paullo immutatas aptabat, eratque multis auctor, uti eas crebro proferrent. Quidquid de Deo diceret, dicebat obſequentiſſime: quidquid Deum poſtularet, humillime, ac de-

votiſſime poſtulabat; nec quidquam ſibi perpetua precatione aut jucundius fuit, aut uſitatius, de quo & paullo ſuperius dictum eſt: ſingulis inſuper annis divina ſerius meditatum ſecedebat ad diem decimam.

Tanto autem in Deiparam amore tenebatur, ut eam ſemper obſequiis humillimis ſit proſecutus. Nullam ſeptuaginta amplius annos diem prætermiſit, qua non eam decadibus ſalutationum quindecim [integrum Roſarium vocitant], parvoque ejus officio non excoluerit. Aram ejus in domeſtico Templo ſitam bis quotidie venerabatur; ejuſdemque imaginibus ubique ſignificationem aliquam honoris præbuit. Iconem quamdam ejus ab Angelo ſalutatæ, ſatis vetuſtam, & in quodam minus celebri domus loco parieti appictam, vel eo quotannis honorabat magis; nam locum aulæis honeſtari, cereiſque inſtrui jubebat, eoque & preces fundere pergebat ipſe, & oratum ceteros invitabat. Scilicet, qui impenſius amant, vel in levioribus agunt ſæpe ſtudioſius. Sed illud Lauretanum iter erat ei quam jucundiſſimum. Biduum, quo Laureti manere conſueverat, in eo Virginis, divinique Verbi domicilio ferme integrum tranſigebat; mox revertebatur; dies decimus profectionem plerumque, manſionem, ac reditum abſolvebat. Libellum etiam compoſuerat, quem & imprimi fecit, quo ſacras exercitationes in ea peregrinatione obeundas complexus eſt, quibus ipſe utebatur. Ex quo intelligitur, pietatis, religioniſque, non voluptatis cauſſa, eum ſibi fuiſſe morem. Quamquam vero meritoriis equis iter pedetentim agere tam longinquum, cui eſſe voluptati queat? Rotarius tamen quo animum ſuum paſcebat mirifice, eo maxime refici videbatur. Accidit aliquando, qua die ſub meridiem reverſus eſſet, ut ſacrum

mox

mox ageret, eademque impransus suggestum perinde conscenderet, atque alias nihil fessus. Quod & superiore fecit, antequam moreretur, anno, annum agens ipse duodenonagesimum, non Laureto quidem, sed Patavio cum rediisset: Nam illic, Venetias petens (quo de itinere diximus), atque inde remeans, triduo apud D. Antonii Contubernales Fratres hospitatus fuerat, acceptusque quam humanissime. Librum item promulgavit de Beatissimæ Virginis laudibus non mediocrem. De illa in conventu domestico sic loquebatur, ut nemo non intelligeret, qua in eam charitate ferveret.

Præter hanc tamen, Apostolorum Principes summo in honore habuit. Alterum ob tutelam Ordinis nostri præcipuam, Alterum quod cum ischiade laborasset, fuissetque quorundam hominum, qui Cancellis apud Fulgineum incolunt, contactu [ut usuvenit] in valetudinem restitutus, D. Petro perpetuam sibi habendam esse gratiam intelligebat, cujus munere illiusmodi hominum genti donum, ut perhibent, concessum est. Dixi superius, quam se D. Peregrino Latiosio devinctum profiteretur, ob crus a putri ulcere liberatum. Adibat aram ejus singulis hebdomadibus constituta die. Ejus sepulchrum, cum Foro Livii transiret Lauretum appetens, invisebat. Dum vero Hispanorum, Germanorumque copiis iter eousque interclusum esset, quod ob bellorum vicissitudines annis accidit tribus; cum primo substitisset, altero, ut Lauretanum iter ratione aliqua compensaret, ejusdem cineres veneratum consulto processit; tertio Ticinum adiit, veteri illa in B. Alexandrum Saulium religione, de qua ante diximus, eo sollicitatus. Mitto, quam S. Philippi Nerii, S. Caroli, aliorumque istiusmodi, esset studiosus. Sed & Antonium Mariam Zaccheriam Ordinis nostri Paren-

tem, quamquam religioſis honoribus nondum auctum, pro ſua tamen pietate ſuſpiciebat maxime, ſeque ipſi, & Ordinem ab eo conditum, rebus in difficillimis, commendabat; eumdem ſcilicet præſentiſſimum nobis fore merito arbitratus. Infinitus ſim, ſi omnia religionis ejus argumenta proferam. Illud aſſeverabo, nullum extitiſſe pietatis, obſequiique divini genus, in quo non floruerit vel in primis.

Tali modo cum duodenonageſimum annum compleſſet, atque ad extremam ſenectutem tanta valetudinis proſperitate creviſſet, nactus eſt morbum initio levem. Etenim ante multos annos prurigine quadam laborabat, quæ cum vertente vere crudeſceret, refrigeratione aliqua mitigabatur. Id pariter, cum anno MDCCXLVIII. increbuiſſet incommodi, conſueta leniendum eſſe ratione putatum eſt. Sed nihil profuit. Acrior in dies fiebat prurigo, morbuſque violentior. Nulla interdiu, noctuque quies. Lepram manus contraxerant: efflabat e corpore gravis odor. Hæc inter ita languere ſtomacho cępit, ut non modo nihil appeteret, ſed ne ſumeret quidem cupedias ſuaviores. Quam ille calamitatem ita moderate tulit, ut neque eum querentem quiſquam audierit, neque minus privatas, publicaſque res geſſerit. Etenim non eo ſecius antiquiſſimam vitæ conſuetudinem tenuit, neque a familiari dicendi ad populum inſtituto deſtitit; & quamquam in dies conficiebatur, tamen de ſuggeſtu cum diceret, tanta vocis conſtantia, & alacritate pronunciabat, ut tum potiſſimum valere videretur probe. In hoc morbo cum quatuor menſes, obnitentibus fruſtra Medicis, conſumpſiſſet, vireſque adeo remiſiſſent, ut ambulationem vix ferrent breviſſimam, ita ſe Rotarius tum comparavit, ut Virum decebat probum in primis,

mor.

mortisque conscium, quam manebat. Formulas quasdam composuit, & colloquia, quibus fidem, spem, charitatemque in Deum suam testaretur, quidquid vero criminis toto vitæ decursu admisisset, dolens plurimum, ac suspirans, deprecabatur: Atque has quotidie prostratus in Templo recitabat. Hæc inter, cum circa Idus Octobres in sinistro pede fistula putris erupisset, osque traxisset cariem, jubebant Medici eum decumbere; nam curari manu oportebat. Verum non est passus in lectulo diutius sistere, quam Chirurgus mane suas perfecisset partes. Surgebat enim, & nixus alieno brachio trahebat se se brevi intervallo in Templum, cui quamproximum cubiculum instructum ei fuerat ex industria. Hortatus ne id faceret, rogabat suavissime, ne obsisterent, quominus id maxime tum perficeret, quod semper in more habuisset. Itaque quamvis pedibus non valeret, febrisque putris ob gangrænam accessisset, quotidie tamen Sacrificium peregit ad XII usque Kalendas Novembres; quo die, qui fuit Dominicus, nobisque Dedicationis ejus Templi anniversarius, quamquam Sacri faciundi caussa e lectulo niteretur egredi, non valuit tamen. Sub meridiem vero sic cœpit obstupescere, ut eum apoplexia correptum, cœlestique Viatico muniendum Medici duxerint. Quod cum vesperi allatum esset, Rotarius, quasi e veterno excitatus, perspicua, elataque voce eam orationem habuit, qua adstantes in antiquæ virtutis admirationem quammaxime commovit. Inter cetera, si cui gravis, molestusque extitisset in vita, rogare se, & obsecrare uti ignosceret: si quem ab officio, vitæ suæ exemplis, institutisque abduxisset, ne, quæso, in id insisteret vitæ genus, quod a Majorum Sanctissimis legibus aberraret, & postulare se vehementius, & ob-

& obteſtari. Quæ, & alia id genus, cum lacrymans diceret, ſic omnium affecit animos, ut niſi firmius conſtitiſſent, omnium facile fletum excitaviſſet. Poſtero mane, cum ſancto oleo roboraretur, animo fuit pręſentiſſimo, eodemque adfuit, cum ſibi non multo poſt extremæ precationes adhiberentur, quibus e corpore profecturus animus Deo quammaxime commendatur. A meridie autem cum ab iis, qui aderant, poſtulaſſet, Deiparam ut precarentur, ne ſibi in proxima interitus conflictatione deeſſet; idque perficerent iis precibus, quas *Litanias* dicimus, ſingulis & ipſe reſpondebat ea voce, quam nemo brevi defecturam arbitraretur. Sed contra opinionem res cecidit. Poſt enim neque eſt locutus amplius, nec loqui valuit, quamquam, quæ ad aurem dicerentur, ſe capere nutu, ſummiſque labiis ſignificaret. Is ſcilicet, qui Deiparæ fuerat ſtudioſiſſimus, in ea potiſſimum loqui deſiit. Die demum a decubitu tertia, quæ fuit x. Kal. Novembres anno MDCCXLVIII. agone conflictatus uſque in veſperam, Vir omnium lacrymis deflendus, omnium memoria dignus, deceſſit, annos natus LXXXVIII. menſes VIII. dies VII. Cadaver ejus poſtridie noſtro omnium luctu cum efferretur, crebro populi concurſu ſtipatum eſt, omnibus tanti Viri jacturam deplorantibus.

Statura fuit exigua magis, quam mediocri, ore decoro, cęſiis oculis, naſo eleganti, labiis rubentibus, colore vivido, obeſo corpore, manu tereti, brevi pede, capillo ſubflavo, qui mature ſatis incanuerat, ſenemque defecerat. Vox inerat firma ſane, ſed raucior ob pituitam, locutio prompta, pronuntiatio lentior, non ad tædium tamen. Comitate gravitas, ſagacitate temperata ſimplicitas; non ad contem-

temptum facilitas, sed ad amorem; non quæ eum frangeret senectus, sed in qua præ ceteris ipse vigeret. Nulla cupiditate sollicitatus animus, nulla cura dejectus, nulla re, ac ne morte quidem deterritus; propterea ut facillime, tamquam e custodia, vinculisque corporis evolaverit.

Tanti Viri memoriæ Imago ejus depicta est, & in atrio Domus appensa cum hac epigraphe.

R. P. D. Thomas Franciscus Rotarius, antiquæ Virtutis Vir, editis operibus illustris, comes, eloquens, vel in summa senectute laboriosus, infatigabilis.

Opera ejus universa hæc sunt, quæ quidem typis edita.

Apparatus Theologiæ Moralis in 8. sæpe, multisque in locis recusus.

Examen promovendorum ad Ordines, & Beneficia in 12. Libellus pluries evulgatus.

Theologiæ Moralis Regularium Tomus Primus, Alter, Tertius, *in fol.* Bononiæ apud Lęlium a Vulpe. Venetiis, eo vivente, bis impressus apud Balleonium.

Sermones in B. Virginem Mariam italico sermone in 4.

In Vitam Jesu Christi, & Beatissimæ Virginis Mariæ eodem idiomate Tomi tres in 4. Venetiis, typis Balleonii, editi post ejus mortem.

Sacra ad Sanctam Lauretanam Domum peregrinatio eadem lingua libellus exiguus in 12.

Supersunt in MSS.

In Genesim Tomi quatuor.
In Exodum duo.
In Leviticum unus.

In

In Librum Numerorum unus.
In Deuteronomium.
In Josue
In Judices.
In Ruth.
In Libros quatuor Regum Tomi sex.
In Danielem duo.

In Vitam S. Paulli opus inabsolutum. *In Beatissimæ Virginis Nativitatem, & in Cœlos Assumptionem. In Verba Christi e Cruce pendentis. Expositio Cantici* Magnificat, *&* *Precis* Salve Regina. *In D. Carolum* Panegirica Oratio. Tomus unus.

Omnia hæc, quæ in MSS. supersunt, nostrate idiomate scripta sunt, Tomique omnes in 4.

Atque hæc sunt, quæ de Rotario habuimus in posteros edicenda, ut constet & nostra hac ætate Viros extitisse sempiterna memoria dignos, nostrumque Ordinem, qui religione doctrinaque semper maxime floruit, nunc item Rotario enituisse, aliisque insuper, quorum Vitas conscripsimus, & deinceps, si Deus obsecundaverit, edituri sumus.

DECADIS PRIMÆ

FINIS.